AUTHOR:

SPINDLER, PROSPER

TITLE:

DE ARNOBII GENERE DICENDI

PLACE:

STRASSBURG i. E.

DATE:

1901

Master Negative #

92-80514-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Spindler, Prosper, 1863-

De Arnobii genere dicendi; dissertatio inauguralis quam... scripsit Prosper Spindler... Strassburg i. E., Müh, 1901.

75 p. 26½ cm.

Thesis, Strassburg. Volume of Pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-26-92 INITIALS m.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE ARNOBII GENERE DICENDI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

PROSPER SPINDLER

ALSATA.

STRASSBURG I. E.
BUCHDRUCKEREI CH. MÜH & CIE.
1901.

Von der Fakultät genehmigt am 3. März 1900.

RICHARDO REITZENSTEIN

RICHARDO HEINZE

SACRUM.

De Arnobii genere dicendi.

Qui Arnobii adversus nationes libros perlustrarit, ei in mentem venient quae Augustinus (Conf. 8, 5) de C. Mario Victorino quodam ad fidem christianam transgressuro narrat. Ei quondam clarissimo rhetori cum in ecclesia Christianorum fides profitenda esset, noluit secretius id facere, sed in conspectu multitudinis nomen dare novae religioni non veritus est, ut per ora cunctorum sonarent verba: Victorinus, Victorinus. «Non enim», addit S. Augustinus, «erat salus quam docebat in rhetorica, et tamen eam publice professus erat. Quanto minus ergo vereri debuit mansuetum gregem tuum, qui non verebatur in verbis suis turbas insanorum?» Simili ratione Arnobius, ipse rhetor Siccae, quam christianorum religionem prius impugnaverat, eam christianus factus eadem rhetorum pompa contra obtrectatores defendere voluit. Neque magnopere attendas quae ficta modestia de «mediocritate sermonis» sui (3, 9) [1] et de «familiari et placida oratione» sua (4, 3) dicit sive quod «quam paucis et sine ullis circumlocutionibus dicturum» (237, 19) se esse pollicetur. Nam eiusmodi voces saepissime initiis antiquorum librorum reperiuntur atque communia sunt Arnobio cum plurimis scriptoribus [2]. Atque quod ipse (39, 12) dicit: «Nunquam veritas sectata est fucum nec quod exploratum et certum est circumduci se patitur orationis per ambitum longiorem sqq.», in illum imprimis cadit id quod Nordenius de universis christianis scriptoribus dicit: «in der Theorie haben sie von den ältesten Zeiten bis tief in das Mittelalter hinein fast ausnahmslos den Standpunkt vertreten, dass man ganz

[1]) Locos singulos adscripsimus secundum editionem Reifferscheidii.
[2]) Multa exempla collegit Norden, antike Kunstprosa, p. 595.

schlicht schreiben müsse, in der Praxis haben sie das gerade Gegenteil befolgt»[1]. Propter id rhetoricum sermonis genus, ubi de Arnobii ratione dicendi scripturi sumus, recedentes a partitione qua v. g. Müllerus in optimo suo de Plinii Maioris sermone libello[2], usus est, postquam de exemplis quae Arnobius secutus est tractavimus, de oratorio sermonis colore agemus, deinde de enuntiatorum structura, tum de sermonis variatione, postremo de verborum collocatione.

Cap. I.

De exemplis quae Arnobius secutus est.

Iam qui leviter Arnobii libros perstrinxerit, statim sentiet, quantopere eius dictio a poëtis dependeat. Attamen hoc loco non agimus de verborum collocatione saepe plane poëtica, de metaphoris in carmine usitatis aliisque quae Arnobio cum poëtis communia sunt[3]. Sed permultos invenimus locos qui sine dubio de poëtis assumpti sunt, ita tamen ut raro ad verbum sententiam poëtae Arnobius expresserit, sed saepissime aut variet aliqua ex parte aut mutet vocum seriem. Sic v. gr. quae ab Horatio (Carm. 4, 1, 5) «mater saeva Cupidinum» nominatur, eam Arnobius (129, 13) «speciosam illam Cupidinum matrem» appellat; eiusdem poëtae notissima verba recordatus «cuncta supercilio moventis» (Carm. 3, 1, 8) scribit (157, 24) de eodem Jove «supercilio id est nutu totum motans et tremefaciens caelum»[4]. Vox Ovidiana «*proles* Semeleïa» (Met. 3, 520) mutatur in «Semeleïa *suboles*» (212, 10); eiusdem poëtae versus secutus «sideraque alta trahit celerique volumine torquet» (Met. 2, 71), nobis Arnobius Jovem monstrat «torquentem illum sidera» (194, 14). Atque aureae plerumque sunt aetatis poëtae quos imitatur, multo rarius antiquioris, sic semel cum Plauto (Truc. 2, 2, 14) de «clurino pecore» (123, 18) loqui-

---

1) cfr. Norden, o. c. p. 529.

2) Müller J. Der Stil des älteren Plinius. Innsbruck 1883.

3) cfr. capita quae sequuntur.

4) Sic emendavit Reifferscheidius lectionem cod. P. supercilio inutu; Polle (N. Jahrb. für Philol. u. Paedag. 1887 1), scripsit «supercilii nutu».

tur, cum Lucilio, quem praeterea bis memorat, corpus humanum «folliculum» (Luc. 26, 556; Arn. 110, 14) nominat[1]. *Lucretium* imprimis, *Vergilium*, Horatium, Ovidium, Lucanum[2] fortasse, ab Arnobio exscriptos esse apparet, ita ut cogites ea quae Tacitus in Dialogo Aprum de oratoribus suae aetatis loquentem inducit: «Exigitur enim iam ab oratore etiam poëticus decor, non Accii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Vergilii et Lucani sacrario prolatus» (20). Sed quia longum est, omnes enumerare locos, Lucretium et Vergilium elegi, quibus demonstrarem qua ratione Arnobius iis uteretur.

§ 1. Quid Lucretio debuerit?

Scriptores saeculorum post aetatem Augusti proximorum diligenter Lucretium legisse inter omnes constat (cfr. Teuffel-Schwabe, Geschichte der römischen Literatur § 203, 2). Neque minus qui primi lingua latina religionem christianam a calumniis adversariorum defenderunt libris Lucretianis operam dederunt, ut Tertullianus et Lactantius, qui locos illius carminis laudant (cfr. Jessen, über Lucrez und sein Verhältnis zu Catull und Späteren). Arnobium quoque, Lactantii praeceptorem (Hieronym. de vir. ill. 80), plurimis locis non solum Lucretii voces locutionesque, sed etiam saepe argumenta adhibuisse patet. Quae similitudo etsi iam a prioribus editoribus operis Arnobiani (praesertim ab Hildebrandio) animadversa est[3], tamen ad hunc diem nondum exposita est. Postquam notavimus semel tantum «Musam Lucretiam» ab Arnobio laudari (118, 18), primum de singulis vocibus agemus, quae horum scriptorum propriae sunt aut vix apud alios inveniuntur, tum de locutionibus sententiisque eiusmodi.

---

1) cfr. etiam 21, 24 «procul inquam, ut dicitur, *averruncetur amentia*» et sollemnes preces Lucil. 26, 541. Di monerint meliora atque *amentiam averruncassint* tuam.

2) cfr. «*ponti terga*» 30, 11, quae translatio primum a Lucano usurpata est 5, 565; 9, 341; *salus rerum* 84, 18 et Lucan. 4, 190.

3) Complures locos affert etiam Roehricht, die Seelenlehre des Arnobius, nach ihren Quellen untersucht. 1893.

a) **De verbis Arnobianis cum Lucretio communibus**[1].

α) De *substantivis*.

circumcaesura 120, 15; Lucr. 3, 219; 4, 695[2]).
pausa 181, 27; Lucr. 1, 747; 3, 858, 928; 4, 1108.
pellacia 79, 21; 165, 2; 170, 19; 193, 1; Lucr. 5, 1003; 2, 559.
repetentia 69, 18; 71, 7; L. 3, 849[3]).
angellus 283, 16; L. 2, 428.
filum i. e. forma 120, 14; 225, 4; L. 2, 341; 4, 86; 5, 277, 946.
fluentum 15, 8; 158, 8; L. 5, 277, 946.
formamentum 122, 24; L. 2, 518.
differitas 60, 24 (differitate distantia); L. 4, 634 (distantia differitasque).
maximitas 230, 20; L. 2, 498.
momen 71, 24; 76, 12; 87, 9; L. 2, 220; 3, 188, 189; 6, 474[4]).
nigror (feralis) 249, 27; L. 3, 39 (mortis).
pestilitas 276, 16; L. 6, 1096, 1123, 1130.
proluvies (intestinorum) 160, 1; 257, 18; L. 6, 1198 (alvi)[5]).
vocamen 5, 27; 76, 19; 143, 28; 280, 22 etc. L. 2, 657.
vermina 34, 9; L. 5, 995[6]).
fluctus i. e. motus obsceni 212, 9 (cfr. fluctuare 82, 17; 267, 23); L. 5, 1263.

β) De *adiectivis*.

aversabilis 279, 12; L. 6, 390.
exos i. e. sine ossibus 147, 12; L. 3, 719.
genitabilis 164, 22; L. 1, 11.

---

[1]) De his scripsit Stange, De Arnobii oratione I. de verbis ex vetusto et vulgari sermone depromptis. 1893.

[2]) Lucr. 4, 695 extrina membrorum circumcaesura; Arn. 120, 9 extrina circumscriptio membrorum.

[3]) Errat Stange, cum vocem «querquera» (Arn. 32, 11) Lucretianam putat.

[4]) cfr. Heintze, Commentar zu Lucretius III. p. 69.

[5]) cfr. Lucilius 26, 538 eluviem facere per ventrem.

[6]) Nescio an addi possit ablativus «parti» 114, 11 et Lucr. 1, 1113 et alibi.

infractus 158, 11 (vocibus delenitus infractis); L. 5, 230 (nutricis . . infracta loquella)[1]).
immoderatus i. e. immensus 109, 10; L. 1, 1013.
insensilis 227, 15; L. 2, 866, 888.
morbidus i. e. morbos excitans 251, 20 (odor); L. 6, 955, 1095 (aër); 1150, 1222.
ortus primigenios 97, 12; primigenios ortus 105, 7; Lucr. 2, 1106 primigenum . . coortum.
partibus privis i. e. singulis 193, 9; Lucr. 3, 372 singula privis adposita.
tabificus 33, 3; L. 6, 737.
taeter i. e. niger 252, 10 (hic albentibus, ille taetris); L. 4, 170 (t. nocte); 5, 1124 (Tartara taetra).

γ) *De verbis.*

nominitare 280, 22; Lucr. 3, 352; 4, 44; 6, 424.
tortare 118, 24; Lucr. 3, 661.
coactare 4, 24; L. 6, 1120, 1159.
articulare 124, 16; 244, 10; L. 4, 549.
dictitare 132, 4, 11; L. 2, 658.
exspirare i. e. spirando emitti 250, 3; L. 6, 640, 886.
conduplicare 199, 7; L. 1, 712; 3, 71.
concinnare 39, 2; 52, 12; 133, 5; L. 4, 1275; 6, 437, 584, 1116.
pervidere i. e. exquirere 91, 18; L. 1, 956.
sustollere 96, 25; L. 4, 903.
contactus i. e. paulum imbutus 121, 28; L. 6, 1186.
diffluere (de tabe dictum) 170, 15; 187, 1; L. 1, 1039[2]).
coinbibere i. e. animum inducere 201, 8; L. 3, 995 inbibere[3]).
genere 158, 16; L. 3, 795; 4, 141, 157.
occipere (vox ex copia latinitatis archaicae hausta esse videtur, etiam a Livio[4]) et Tacito usurpata) 4, 4; 8, 13; 248, 22; 272, 13; Lucr. 5, 885.
sufficere i. e. suppeditare 80, 19; Lucr. 2, 108; 3, 702; 6, 480.

---

[1]) cfr. Minuc. Fel. Oct. 2: liberis . . dimidiata verba temptantibus, loquellam ipso offensantis linguae fragmine dulciorem.

[2]) Alio significatu Lucr. 3, 435.

[3]) cfr. de hac voce Heintze l. c. p. 188.

[4]) cfr. adnotationem Weissenbornii ad Liv. I. 7, 6.

suboriri 117, 8; Lucr. 1, 1036, 1049; 2, 1138.
expergitus 174, 7; Lucr. 3, 927 [1]).

Ut apud Lucretium [2]) etiam apud Arnobium infinitivi in terminationem ier exeuntes inveniuntur: adficier 110, 24; vertier 135, 5; velarier et coronarier 179, 25; iacularier 229, 5; 230, 22; convestirier 210, 6; copularier 233, 13; provolvier 240, 22; addier 248, 20; viderier 280, 9.

Genere passivo verbi «conficiendi» saepe Arnobius utitur formis in fieri exeuntibus: confierent (dab.) 83, 6; confiant 209, 9; confiunt 228, 13; cfr. Lucr. 4, 289 confit; 736 confiunt; 926 confiat.

5) *Adverbium* «catervatim» 272, 14 e Lucretio videtur esse depromptum, quia de eadem re agitur 6, 1144 [3]).

b) **De copulationibus vocum a Lucretio depromptis.**

rerum ipsa quae dicitur appellaturque *natura* 4, 6; Lucr. 1, 25.
saecula mortalium 3, 18; ruminatoribus saeculis 258, 14; Lucr. 1, 467 saecla hominum; 4, 411 et 684 saecla ferarum; 5, 802 mortalia saecla; 6, 722 nigra virum-saecla.
moles mundi 10, 6; L. 5, 96 moles et machina mundi.
ventorum flamina 20, 14; L. 1, 290 flamina venti.
summa rerum i. e. mundus 21, 16; L. 1, 235, 502.
manum dantes 24, 29; L. 2, 1043 dede manus.
obsignatum memoria continetis 51, 25 [4]); L. 2, 581 obsignatum — habere et memori mandatum mente teneri (4, 565 obsignans formam verbi).
ex ossibus fundata 61, 1; L. 5, 924 ossibus intus fundatum.
nothum lumen 64, 22; L. 5, 574.
leti atque interitus *ianua* 70, 17; *leti* adeunt *ianuas* 73, 18; L. 5, 373 leti praeclusa est ianua.

---

1) cfr. Heintze l. c. p. 175.
2) Exempla collecta sunt a Stangen l. c. p. 8.
3) Nescio an «propriatim» (propiatim cod. P.) 140, 22 dependeat a Lucretii «propritim» 2, 975.
4) cfr. 220, 1 fixa obsignati ominis perpetuitas.

usu et illis est *vita*, non *mancipio* tradita 70, 20; L. 3, 969 vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.
saccatus umor 77, 29; L. 4, 1021.
planum facere 94, 10; L. 2, 934.
oras contingere *luminis* 103, 28; L. 1, 23 in luminis oras exoritur, 170 oras in luminis exit; 179 effert in l. o.; 2, 577 visentis l. o. saepiusque [1]).
lingua sonos *articulet* 124, 16; L. 4, 549 articulat verborum daedala lingua.
illam *Venerem Aeneadum matrem* 163, 27; L. 1, 1; Aeneadum genetrix — Venus.
profluvium sanguinis 179, 21; L. 6, 1203.
in formam migrare 192, 24; L. 2, 775 migrare in colorem; cfr. Ovid. Met. 15, 172 in figuras migrare.
sub aetherio tegmine 217, 8; L. 1, 988; 2, 663 sub caeli tegmine.
caelum subtexere 249, 26; L. 5, 466.
in prima est positum verborum *fronte* 203, 4; *in prima* positum quemadmodum dicitur *fronte* 273, 25; L. 1, 879 primaque in fronte [2]).

c) **Idem exprimitur dictionibus Lucretii similibus aut consulto aliquid cum eo discrepantibus.**

4, 15 *sol* . . cuius *omnia luce vestiuntur;* L. 2, 147 sol ortus tempore tali convestire sua perfundeus omnia luce.

22, 4 arbores *glaebae* saxa *sensu animata vitali;* L. 5, 144 haud igitur constant divino praedita sensu (glaebae etc. . .) quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.

4, 26 sapor *frugibus* esculentis et vitis *(vitigenis* Klussmann) *liquoribus* mutatus est? L. 5, 14 Ceres fertur fruges Liberque liquoris vitigeni laticem . . instituisse.

5, 15 neque ulla *inruperit novitas,* quae tenorem perpetuum rerum diduxerit; L. 2, 306 unde coorta queat nova vis

---

1) cfr. Verg. Aen. 2, 91.
2) Addas etiam: vestis textilis 101, 28; L. 2, 35 textilibus in picturis; 5, 1348 textile tegmen; quod in pedestri oratione antiquioris aetatis usitatius est neutrum «textile».

inrumpere et omnem naturam rerum mutare et vertere motus (novitas L. 3, 152; 4, 926).

10, 24 *veratrum venenum* est hominibus: numquid ob hanc causam non debuit nasci? L. 4, 638 nobis veratrum est acre venenum, at capris adipes — auget.

25, 1 nonne dignus a nobis tantorum ob munerum gratiam *deus dici deusque sentiri* etc. Hic sine dubio Arnobii animo obversantur ea quae Lucretius de Epicuro praedicat (5, 7 nam, si ut ipsa petit maiestas cognita rerum dicendum est, deus ille fuit, deus, inclyte Memmi), quem secutus etiam Christo merita tribuit, quae minime ad eius doctrinam pertinent.

52, 28 sq. cum videre nos dicimus, radiorum et luminis intentione *videamus* an *rerum imagines advolent* et nostris in populis sidant; utrum sapor in rebus sit an *palati contagionibus* fiat; quid sit quod.. solum oleum respuat immersionem in se pati sq.» nescio an Arnobius recordetur Lucretii versuum 4, 42 sq. «Dico igitur rerum effigies tenuisque figuras mittier a rebus, summo de corpore rerum» . . . 59 sq. nam saepe videmus illorum spoliis vepres volitantibus auctas; quae quoniam fiunt, tenuis quoque debet imago ab rebus mitti, summo de corpore rerum», 625 «deinde voluptas est e suco fine palati; 6, 1070 vitigeni latices aqua fontibus audent misceri, cum pix nequeat gravis et leve olivom.

53, 8 sq. «ipse denique animus .. cur in aegris aeger sit, in infantibus stolidus, in senectute defessus, *delira* ecfuttiat et insana!» L. 3, 445 gigni pariter cum corpore et una crescere sentimus pariterque senescere mentem .. post ubi iam validis quassatum est viribus aevi corpus et obtusis ceciderunt viribus artus, claudicat ingenium, delirat lingua, labat mens; 463 quin etiam morbis in corporis avius errat saepe animus: dementit enim deliraque fatur.

44, 10 quid ergo *vos subigit*, quid hortatur sq. L. 3, 1075 quae mala nos subigit vitai tanta cupido? [1])

60, 5 virtutum omnium *servamus* atque integramus *tenorem;* L. 5, 5 conservans usque tenorem.

[1]) cfr. etiam Arn. 183, 13.

62, 18 sqq. iisdem argumentis ac Lucretius 3, 668—676 concludit animos non esse immortales, cum ea quae diximus non sint recordationes; p. 69, 17 sq. idem probat, quod animi priora obliviscantur; quod argumentum ex eodem Lucretio depromptum est 3, 161 sq., qui iisdem fere verbis incipit: Haec eadem ratio naturam animi atque anima corpoream docet esse sq. Arn. 69, 26 quid quod eadem ratio non tantum incorporeas indicat eas non esse sq. Atque propter eam similitudinem haec quoque videntur deprompta esse ex Lucretii verbis: 62, 5 nonne alia (animantia) cernimus .. mansiones .. e saxis et rupibus tegere .. et in fossilibus foveri tutamina sibimet et cubilia praeparare? L. 5, 982 eiectique domo fugiebant saxea tecta .. atque intempesta cedebant nocte paventes .. instrata cubilia fronde.

87, 1 sqq. si hominem dicas .. idcirco esse sanum, quod unius unguiculi nullum perpetiatur dolorem; aut esse auream terram, quod in verricula collis unius sint exiguae miculae, quibus nascitur colliquefactis aureum et adcuratio congregatione conquiritur; L. 6, 946 alitque (cibus) corporis extremas quoque partis unguiculosque (Lachm.); 1, 839 ex aurique putat micis consistere posse aurum et de terris terram concrescere parvis.

101, 26 inventis frugibus *glandes* spreverint et repudiaverint *arbuta*, quod corticibus contegi et *amiciri desierint* sq. L. 5, 936 glandiferas inter curabant corpora quercus plerumque: et quae nunc hiberno tempore cernis arbita puniceo fieri matura colore; 950 neque uti pellibus et spoliis corpus vestire ferarum sq. [1]).

103, 25 sq. musica ceteraeque omnes artes quibus vita est exstructa et expolita communis cum hominibus natae sunt et non potius nuper? L. 5, 332 sq. etiam quaedam nunc artes expoliuntur, nunc etiam augescunt .. modo organici melicos peperere sonores, denique natura haec rerum ratioque repertast nuper.

122, 3 sq. (credit) per varias tegminum atque amictuum *formas vestitos* hos (deos) ire atque ab aestibus sese frigori-

[1]) cfr. Cicer. Orat. § 31; Verg. Ge. 1, 148; 2, 520; Otto, Sprichwörter 154.

busque *tutari;* L. 5, 231 nec varias quaerunt vestes pro tempore caeli, . . qui sua tutentur.

133, 10 terram quidam vobis, quod cunctis sufficiat animantibus victum, *Matrem* esse dixerunt Magnam; nescio an respexerit verba Lucretii 2, 998 (pabula cum praebet, quibus omnes corpora pascunt 996) quapropter merito maternum nomen adepta est [1]).

139, 3 *Curetas* illos, qui *occultasse* perhibentur Jovis *aeribus* aliquando *vagitum;* L. 2, 633 Dictaeos referunt Curetas, qui Jovis illum vagitum in Creta quondam occultasse feruntur, cum . . pulsarent aeribus aera.

158, 3 sqq. quid Jovem miramur *ex feminae effusum* dictitare *vos alvo* . . ergone *vagitum edidit,* repsit atque ut fletum exponeret ineptissime tractum, *crepitaculis* obticuit auditis et ad somnos inductus est *vocibus* delenitus *infractis;* L. 5, 225 sq. nixibus ex alvo matris natura profudit, vagituque locum lugubri complet . . at variae crescunt pecudes . . nec crepitacillis opus est, nec cuiquam adhibendast almae nutricis blanda atque infracta loquella.

191, 13 virginibus *aurea* sumpta ab *Hesperidibus mala;* L. 5, 32 aureaque Hesperidum servans fulgentia mala.

216, 6 ventorum eos *turbines vexant;* L. 1, 273 rapido percurrens turbine campos . . silvifragis vexat flabris.

217, 16 *sol luna* cum supra terras *meant;* L. 1, 128 solis lunaeque meatus.

228, 18 signa . . *casibus stillicidiorum* labi; L. 1, 313 stilicidi casus lapidem cavat; cfr. etiam 5, 205.

249, 26 *caelum* fumo *subtexere;* L. 5, 466 subtexunt nubila caelum.

249, 29 *arae* istae quas dicitis *altariaque* pulchra (cfr. etiam 214, 9); L. 4, 1229 conspergunt aras adolentque altaria donis. Cfr. 258, 21 haec . . sacris adoleantur altaribus [2]).

251, 19 *fervescere vermibus et fluctuare* (cfr. 147, 12 si exos genus humanum velut quidam vermiculi nasceremur);

---

[1]) cfr. 62, 8 et L. 5, 818, 1400.

[2]) cfr. etiam 214, 9 (non altaria fabricemus, non aras), Verg. Buc. 5, 65 sq., Lucan. 3, 404.

L. 3, 718 unde animantum copia tanta (vermium 717) exos et exanguis tumidos perfluctuat artus? (Iam a Heintzio citati loci p. 149).

261, 14 *Panchaicas* . . ardere resinulas; L. 2, 417 araque Panchaeos exhalat propter odores.

265, 20 etiamne aeris tinnitibus et quassationibus *cymbalorum?* etiamne *tympanis?* L. 2, 618 tympana tenta tonant palmis et cymbala circum sqq.

272, 13 civitatem occepisse pestilentia *vastari* cumque dies adderet malum malo gravius, *catervatim* et populus interiret sqq. L. 6, 1138 sqq. etiam de morbo: vastavitque vias . . inde catervatim morbo mortique dabantur.

§ 2. De Arnobio Vergilii imitatore.

Nemo est quin sciat Vergilii carmina iam paulo post poëtae mortem celeberrima et notissima esse facta, quin etiam pueris ad legendum in scholis data esse. Cfr. Augustin. civ. Dei 1, 3. Quae cum in omnium ore et consuetudine essent, non miramur quod Arnobius multos ex iis locos libris suis inseruerit, qui haud scio an ultro scribenti succurrerint. Habes praecipuos locos qui sine dubio e Vergilio repetiti sunt.

13, 22 *anhelum pectus;* Aen. 6, 48 pectus anhelum.

16, 29 in *rebus fessis;* Verg. Aen. 3, 145 fessis finem rebus ferat [1]).

23, 16 *Mercurius* utero *fusus* est *Maiae* . . *candidae;* Aen. 8, 138 Mercurius pater est, quem candida Maia . . fudit [2]).

23, 17 *arquitenentes* Diana et Apollo; Aen. 3, 75 pius arquitenens (Apollo).

23, 11 *Janus Janiculi conditor* et *civitatis Saturniae* Saturnus auctor; Aen. 8, 357 sq. hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem; Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

24, 7 *auribus vulneratis;* Aen. 8, 582 nuntius auris vulneret.

---

[1]) 128, 21 fessis atque invalidis rebus. Cfr. Tac. Ann. 15, 50 fessis rebus succurrere.

[2]) 133, 8 Cyllenius in algido fusus monte.

33, 6 *datorem* . . sanitatis; 101, 8 datores rerum certarum; Aen. 1, 734 laetitiae *dator* [1]).

53, 25 senectutis ad *metas;* Aen. 10, 472 metas aevi.

61, 6 edunt per uteros fetus; Ge. 4, 199 fetus nixibus edunt.

68, 8 *Marpesia* ut dictum est rupes; Aen. 6, 471 stet Marpesia cautes.

74, 11 ab hiatibus mortis et *faucibus;* 90, 5 ab *Orci faucibus;* Aen. 6, 273 in faucibus Orci [2]).

77, 2 *inremeabilis;* Aen. 5, 591.

94, 18 haec *obtunsi* luminis (de stellis); Ge. 1, 395 tum stellis acies obtunsa videtur.

95, 16 quid *avenae,* quid *lolium* sqq.; Ge. 1, 154 infelix lolium et steriles dominantur avenae [3]).

102, 20 Martium discrimen [4]) obeuntes *spem* proelii *sumitis;* Aen. 11, 18 arma parate animis et spe praesumite bellum.

104, 19 *ignipotens* Vulcanus; Aen. 12, 90 ignipotens deus; 8, 710

106, 1 quis Picum, Fauni patrem atque avum Latini? cfr. Aen. 7, 45 sqq.

109, 16 infantes *sub uberibus* matrum; Aen. 5, 285 geminique sub ubere nati.

112, 12; 219, 6 *fundamen;* Ge. 4, 161.

117, 8 *sufficere prolem;* Ge. 3, 65 [5]).

121, 2 quae sub *costis* earumque sub *cratibus* cutes contegunt; Aen. 12, 508 pendere putare pectus et a spinae tantummodo crate teneri.

132, 1 *vitisatorem* (Saturnum) *falciferum;* Aen. 7, 178 paterque Sabinus vitisator, curvam servans sub imagine falcem Saturnusque sqq. (Hic quae de Sabino dicta sunt, de Saturno Arnobius refert.)

---

1) Etiam apud Plautum hanc vocem iuvenias.
2) cfr. etiam Lucret. 3, 1012 et adnot. Heintzii p. 190.
3) cfr. Verg. Buc. 5, 37.
4) Lucan. 3, 336; 4, 770 (discrimen Martis).
5) cfr. quae supra § 1, γ de voce «sufficere» diximus.

135, 20 sitim . . *proluere;* Aen. 1, 739 pleno se proluit auro.

153, 8 (ubi de sacrificiis agitur) aris flammantibus sua *reddere* constituta; 11 apparatum illum sacrorum *reddi;* Ge. 2, 194 lancibus et pandis fumantia *reddimus* exta.

155, 26 *sedit* (stetit sententia); Aen. 2, 660; 4, 15; 5, 418; 7, 61; 11, 551.

160, 20 *vinculorum* ponderibus *levari;* Aen. 2, 146 manicas atque arta levari vincla iubet.

160, 23 quod tutus fuisset a filio, nomen Latio imposuisse; Aen. 8, 322 Latiumque vocari maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

177, 19 *obluctari;* Aen. 3, 38 [1]).

194, 8 *patrem* illum deorum Jovem, *aeternam rerum atque hominum potestatem;* Aen. 10, 18 o pater, o hominum rerumque aeterna potestas.

194, 11 rumigantem *pallentis herbas;* Buc. 6, 54 pallentis ruminat herbas.

205, 2 *fixa atque immota* sententia; Aen. 4, 15 si mihi non animo fixum immotumque sederet.

216, 18 sidereos *evomant*-fulgores; Aen. 8, 620 flammasque vomentem fatiferumque ensem [2]).

217, 27 *ultima Thyle;* Ge. 1, 30.

228, 17 *spirantia signa* i. e. viventia; Ge. 3, 34 Parii lapides, spirantia signa; Aen. 6, 847 excludent alii spirantia mollius aera.

228, 23 sqq. (non videtis) *steliones* sorices mures *blattasque lucifugas* nidamenta ponere non in ore aliquando simulacri ab *araneis* ordiri retia atque insidiosos *casses;* Ge. 4, 242 ignotus adedit stelio et lucifugis congesta cubilia blattis . . aut invisa Minerva laxos in foribus suspendit aranea casses.

234, 6 *edax ignis;* Aen. 2, 758.

246, 6 et 283, 11 *ineluctabilis* (necessitas — firmitas); Aen. 2, 324 [1]).

---

1) Vox a Vergilio formata.
2) cfr. Jl. 5, 4 δαῖε οἱ ἐκ κόρυθός τε καί ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ.

249, 26 *caelum fumo subtexere:* Aen. 3, 582 [1]).

250, 4 *lanitium* (pro lana); Ge. 3, 384 (Aen. 10, 27 pro ovibus).

250, 31 *hirundines garrulae:* Ge. 4, 307 garrula . . hirundo.

251, 11 *volutabrum;* Ge. 3, 411.

256, 22 *stimulis* exagitentur *irarum:* Aen. 11, 452 stimulis haud mollibus irae.

260, 9 *pium far;* Aen. 5, 745 (cfr. etiam Hor. Carm. 3, 23, 20; Tibull 3, 4, 9).

262, 21 *masculi thuris:* Buc. 8, 65.

265, 20 aeris *tinnitibus* et *quassationibus cymbal*orum; Ge. 4, 64 tiunitusque cie et Matris quate cymbala circum. cfr. Lucr. 2, 618.

272, 14 *catervatim;* hic et Ge. 3, 556 et Lucr. 6, 1142 de victimis pestilentiae dictum.

278, 28 *agmen* (de anguis orbibus); Aen. 5, 90 agmine longo . . serpens; cfr. 2, 212; Ge. 3, 423.

(279, 5 de iisdem orbibus: voluminibus, sic etiam Aen. 2, 208; 5, 85.)

284, 1 qui rursus accipiat . . numinis alicuius habitasse vim silicis fragmentis *ignis* more subiectam *venis*que in eius *abstrusam?* Ge. 1, 135 silicis venis abstrusum excuderet ignem.

Cap. II.

De oratorio sermonis colore.

Ut plerosque oratorum christianorum saeculi p. Ch. quarti [2]), ita Arnobium arte rhetorica praeter modum ad elaborandum opus suum usum esse iam initio huius dissertationis memoravimus. Iam ex veterum sophistarum legibus haec tria imprimis ad orationis elegantiam postulabantur, ut orator figuràs (σχήματα λέξεως) adhiberet, ut accederet ad similitudinem poëticae dictionis, ut numerosa esset oratio. Recte Nordenius (in op. c. pag. 605) qui ceteroquin Arnobium in exponendo scriptorum stilo praeteriit, quam communes huius scriptoris figurae sen-

[1]) cfr. supra § 1, c.

[2]) cfr. Norden, antike Kunstprosa, p. 550.

tentiarum essent adnotavit. Itaque primum de cumulatis interrogationibus, de apostropha, de exclamationibus agemus, inter figuras dictionis de antithetis, de paromoeosi, de anaphora. Quod ad dictionem poëticam attinet, hoc in capite autonomasiam et circumscriptiones et metaphoras tractabimus. Postremo nonnulla de clausula dicemus.

§ 1. De cumulatis interrogationibus.

Iam primo adspectu quam late usus interrogationum pateat intellegitur [1]). Adversarium quem fingit saepe magna interrogationum serie urget, ita ut sexcenties locutiones invenias, ut «non inquiro, non exigo» 32, 2; 242, 5; 252, 23; non enim requiro, non exigo 175, 8; ac primum ab . . his . . perquirimus 4, 3, primum illud a vobis . . exquirimus 204, 5; unum illud . . quaero 242, 23; unoquoque ab hominum quaero 253, 1; ac primum illud . . querimus 259, 21; etiam illud a vobis repetita interrogatione conquirimus 205, 8; interrogamus et nos contra 108, 12; perquiramus et nos contra 110, 1; requiram ut eadem rursus 252, 6; non enim urgemus et quaerimus 29, 1; primum illud a vobis expetimus noscere 239, 5; unum illud prae omnibus quaero 242, 24; quaero et cogito 147, 14; quaeso 17, 2; 71, 23; 146, 8; 175,29; 263, 13; o quaeso 39, 27; 147, 10. Aliis in locis Arnobius his verbis utitur: audire deposcimus 86, 19; illud tamen a vobis audire exposcimus et rogamus 114, 6; sed et illud rursus desideramus audire 114, 14; illud solum audire desidero 175, 11; illud . . primum desideramus et postulamus audire 229, 25; sed neque illud dici aut audire deposco 242, 9; audire a vobis exposcimus 16, 21; 227, 2; 251, 4; ego . . audire desidero 254, 23 etc.

Etiam adversarios interpellat vocibus: Quid dicitis, ut 18, 12; 28, 24; 29, 18; 34, 27; 50, 12; 68, 13; 81, 22; 118, 2;

[1]) Ut Roehricht (de Clemente Alexandrino Arnobii in irridendo gentilium cultu deorum auctore) bene demonstravit, Arnobius multa de Clementis Protreptico deprompsit (non solum legisse Arnobium, verum etiam mirum in modum despoliavisse p. 10, 2). Sed in comparandis locis quos affert, invenies Arnobium sententiae quam vertit interrogativam formam dare, p. 8, 9, 11, 14, 15, 16.

149, 11; 155, 16; 158, 6; 159, 13; 186, 16; 200, 17; 222, 21; 250, 2; vos edissertate, vos dicite 189, 3; edissertate nobis et dicite 47, 6; 258, 20; edissertate, monstrate 205, 14; dicite 53, 15; 186, 23; 249, 11; 280, 11; indicate 143, 28; edite 144, 2.

Adversarium loquentem saepius voce «inquit» inducit [1]), ut 6, 7; 9, 22; 22, 8; 23, 4; 39, 21; 97, 5; 108, 10; 115, 18; 125, 10; 129, 1, 15; 143, 14; 185, 11; 193, 14; 195, 8; 202, 24; 207, 18; 210, 11; 216, 23; 217, 3; 229, 12; 254, 14; 263, 21; 266, 17; 280, 7, semel etiam praeposita secunda persona «cum post decem menses redditum esse *dicatis* partum — nondum, *inquit,* contigerat lucem» 183, 13 sq.

Quae interrogationes saepe vocis interrogativae repetitione continuantur. Ut Cap. II pag. 4, 7 sqq. «*numquid*» undecies iteratur: numquid in contrarias qualitates mutata sunt . . . numquid machinae huius et molis etc., pag. 160, 5 sq. duodecies, 243, 22 sq. quinquies. «*Quid*» 4, 4 sq. ter, 78, 20 sq. ubi conditiones vitae enumerantur, quindecies, 95, 20 sq. in enumerandis bestiis et plantis undecies, 271, 5 etiam quater iteratur. — «*Quid si*» 9, 2 sq. quinquies, «*quis*» 124, 21 sexies, 148, 8 sq. novies; «*quae*» ter 125, 18; «*unde*» 88, 28 quinquies; «*cur*» 231, 24 sq. ter; «*ubi*» 243, 8 sq. septies, «*cur non*» 250, 12 sq. ter, etc.

Saepe vox cuius vim vult augere iteratur a scriptore, ut demonstrativum pronomen 24, 9 sq. *haec* est iustitia caelitum, *hoc* deorum iudicium sanctum; 68, 14 *haeccine* est anima docta illa . . ? *hic* est ille . . pretiosus . . homo? aut verbum, ut 60, 20 sq. ter «*vultis*»; 201, 2 sq. item; 66, 14 sq. *poteritne* . . ostendere? *poterit* . . scire? 200, 23 sq. *potestisne* — indicare? *potestis* . . impellere? — adverbium «*etiamne*» 146, 19 sq. quater, 265, 19 sq. ter repetitur; — participium cum negatione coniunctum septies 53, 19 sq. «*non credentes*»; — locutio, audetis ridere nos . . ? 58, 2, 7, 15, 23 quod est istud honoris genus . . ?; 249, 21, 23, 25 ter.

Quod generatim percontatus est, id saepe in singulas interrogationes dividit, ut 23, 9 sqq. edissertate, quinam sint hi dii, qui . . credant — Janus Janiculi conditor et civitatis Sa-

[1]) De hac voce declamationum propria cfr. Norden l. c. p. 129 et 277.

turniae Saturnus auctor? Fenta Fatua, Faui uxor, Bona Dea . . ? Indigetes illi qui in flumen repunt — ? Aesculapius et Liber pater . . ? Mercurius utero fusus Maiae — ? Arquitenentes Diana et Apollo . . ? Dioneia Venus proles . . ? in Trinacriae finibus Ceres nata atque in floribus legendis occupata Proserpina? Thebanus aut Tyrius Hercules? Tyndaridae Castores . . ? Tisianes et Bucures Mauri et ovorum progenies dii Syrii? Apis Peloponensi proditus et in Aegypto Serapis nuncupatus? Aethiopicis solis Isis furva . . ? — p. 160, 10 sqq. quam primo posuit sententiam «nos quidnam de illis aliquando aut inconveniens sensimus aut conscriptionibus edidimus indecoris», eam in quattuordecim interrogationes dispertit, quarum primam verbis «numquid a nobis dicitur» incipit, ceteras una voce «numquid».

Saepe seriem brevium interrogationum invenimus, quibus scriptor statim addit responsa, ut 106, 5 sqq. ab Jove et Pico quot sunt generis usque ad Latinum gradus? trini, ut indicat series. — vultis Faunus, Latinus et Picus annis vixerint vicenis atque centenis? aestimatio iusta et liquida est. — trecenti ergo sunt pleni et sexaginta post hos anni? res ita est, ut indicat supputatio. — cuius socer Latinus fuit? Aeneae. — genitor Aeneas cuius? Ascanii . . conditoris. — quot apud Albam regnatum est annis? quadringentis et prope bis denis. — aetatis urbs Roma cuius esse in annalibus indicatur? annos ducit quinquaginta et mille sqq. Sic etiam 250, 18 sqq. 253, 6 sq. etc.[1])

Nonnunquam adversariorum argumenta interrogationibus voce «et cur» adiunctis refutantur, ut 127, 10 sq. et 128: «per maria Mater Matuta tutissimas praestat commeantibus navigationes: *et cur* insanum mare tam frequentes exposcit ruinas? salutaria et fida consilia nostris suggerit cogitationibus Consus: *et cur* adsidue vertitur placitorum inopinata mutatio?» et sic septies.

Aliis in operis sui partibus Arnobius cum adversarios rogaverit, non exspectat responsum, sed statim alias interrogationes subicit. Ut 7, 1 sqq. singulis interrogationibus voce

[1]) De hac figura quae nominatur hypophora cfr. Volkmann, Rhetorik^2, pag. 668 (Müller, Handbuch II).

«quando» incipientibus novas respondendo addit quas verbis *«non ante vos?»* consignat; — 188, 13 sq. quinquies ad interrogationes voce «quid» inchoantes respondet aliis quarum prima vox «nonne» est; — 202, 11 sq. interrogat: «quis caduca et mortalia corpora deos edidit amasse? non vos? quis illa furta . . perpetrasse? *non vos?* quis cum natribus . . concubitus? non vos? sqq.

Sed etiam adversarium interrogantem facit et scriptor ipse responsum reddit, ut 28, 9 ergone, inquit aliquis . ., deus ille est Christus? deus, respondebimus . . 85, 28 quanam, inquitis, ratione, qua via? quia omni vero verissimum est . . unde, inquitis, homines et ipsorum hominum quid aut unde sunt animae? (respondet alia interrogatione) unde sunt elephanti tauri etc., 91, 12 mala ergo, dicetis, unde sunt haec omnia? ex elementis inquiunt . . 99, 10 sq. sed si generis Christus humani, inquitis, conservator advenit, quor omnino non omnes liberat? — non aequaliter liberat qui aequaliter omnes vocat? — 108, 10 et quid, inquit, est visum deo . . ut . . ad vos Christus caeli ex arcibus mitteretur? — interrogamus et nos contra: quae causa . .?, 109, 27 cur ergo, inquit, si omnipotenti servitis deo, . . cur persecutiones patitur perpeti vos . .? 149, 22 cur ergo, e vobis fortasse aliquis dixerit, esse falsum est istos deos? possumus optinere . .

§ 2. De apostropha.

Raro Arnobius placida oratione de illis loquitur, qui (4, 1) «se numinum profitentur esse cultores atque inveteratis religionibus deditos», sed plerumque adversarios ipsos alloquitur violentis vehementibusque verbis. Eos appellat 13, 10 *o magni cultores atque antistites numinum;* 27, 15 o isti[1]), *qui hominem nos colere morte functum ignominiosa ridetis;* 28, 24 quid dicitis, *o parvuli;* 34, 27 quid dicitis, *o mentes incredulae difficiles durae*; 36, 7 desistite, *o nescii*; 41, 2 o isti[1]) *qui pollutas res nostras vitiorum criminamini foeditate*; 50, 13 quid dicitis, *o nescii, etiam fletu et miseratione dignissimi*; 53, 15 dicite, *o festivi et meraco sapientiae tincti et saturi potu*; 57, 23 o isti[1]), *qui admiramini, qui stupetis doctorum*

[1]) Haec est graeca locutio, cfr. Soph. Ai. 89 ὦ οὗτος; Oed. Col. 1627; Krüger, Griech. Sprachlehre § 45, 3 A. 8.

et philosophiae scita, ita non iniustissimum ducitis, 29 *vos, vos appello,* qui Mercurium, qui Platonem . . sectamini; 58, 13 quid dicitis, *o viri plus quam satis est vobis ex aliena generositate tribuentes*; 82, 21 quid dicitis, *o suboles ac primi progenies numinis*; 111, 9 quare, *homines,* abstrincte quaestionibus vacuis impedire spes vestras; 118, 2 quid dicitis, *o sancti atque impolluti antistites religionum,* 149, 11 quid dicitis, *o patres novarum religionum, quid potestatum*; 155, 16 quid dicitis, *o isti, qui ad deorum nos cultum membrorum laniatibus invitatis*; 159, 13 quid dicitis, *o impii*; 181, 1 quid *o theologi dicitis, quid supernarum antistites potestatum?* 186, 16 quid dicitis, *o gentes? quid huiusmodi deditae opinionibus nationes?* 197, 24 *quid Erechthidae o cati, quid cives Minervii dicitis.* Cfr. etiam 76, 12; 85, 7, 27; 147, 10; 174, 25; 183, 5; 222, 21; 250, 2; 280, 11. Animadvertendum est quam variis nominibus eos appellet, uno autem loco adversarios comiter alloquitur 23, 9 si vobis iucundum est, amici, edissertate, quinam sint etc. Atque rarius singulari numero utitur 9, 24 quid enim inservire elementa tuis necessitatibus postulas atque ut vivere mollius et delicatius tu possis; 10, 14; 39, 9; 109, 5.

§ 3. De exclamationibus.

Conferas totum caput libri primi 20, 23 sq. ubi Arnobius magna vi deum precatur: «o maxime, o summe rerum . . procreator . . prima enim tu causa es. da veniam, rex summe sqq. Numen divinum etiam 118, 14 inclamat: «o pura, o sancta atque ab omni turpitudinis labe disparata atque abiuncta divinitas!» aut 265, 13 «o deorum sublimitas praepotens, quam venerari debeas sq.»

Magna acerbitas cognoscitur his exclamationibus: 129, 2 o egregia numinum et singularis interpretatio potestatum; 158, 11 o deorum adsertio religiosa, o amplitudinis metuendae venerabilem monstrans atque insinuans dignitatem; 160, 4 o egregia merces culpae, o digna et pretiosa dulcedo; — 183, 21 o cauta et provida deum mater; 236, 14 o species formidinum dirae metuendique terrores; 259, 14 o deorum magnitudo mirabilis, o nullis hominum comprehensa, nullis intellecta naturis

. . . Notandus est imprimis color oratorius huius exclamationis 185, 7 O Abdera, Abdera, dares quantas vias mortalibus inridendi, talis si apud te esset fabula etc.

Indignatur scriptor exclamans 45, 19 o ingratum et impium saeculum, o in privatam perniciem . . paratum; 182, 14 o rerum imaginatio indecora! o habitus foedus Jovis; 185, 18 o fabulam sexui inimicam semper atque infestissimam masculino; 199, 3 o qualia, o quanta inridentes potuimus cavillantesque depromere, si non etc. Hic addi possunt exclamationes, ut 194, 24 hocine audiri et perlegi sub mundi hoc axe? et eos qui haec tractant existimari se velle pios, sanctos religionumque custodes?

Brevis inseritur exclamatio 26, 10 o caecitas! 261, 5 o pietas.

§ 4. De antithetis.

Contraria contrariis reddendi usum, qui apud alios eiusdem regionis scriptores christianos [1], ut Tertullianum, Augustinum frequentissimus est, rarius Arnobius adhibuit. Attamen nonnulla apud eum exempla habes, quae cursim percensebo: 21, 9 non est mirum, si ignoraris, maioris est admirationis, si sciaris; 50, 9 in illo enim pericli nihil est, si quod dicitur imminere cassum fiat et vacuum, in hoc damnum est maximum id est salutis amissio, si cum tempus advenerit aperiatur non fuisse mendacium; 55, 16 ut . . vobis velitis dari quod ita ab illis dicatur accipere, nos ea quae . . proferuntur . . spectare nolitis; 86, 25 in toto enim pars est, non totum in parte [2]), et universitas debet adtrahere portiones, non portionibus universitas adplicari; 105, 19 nova res est quam gerimus quandoque et ipsa vetus fiet: vetus quam vos agitis, sed temporibus quibus coepit nova fuit ac repentina; 155, 15 dum vos arguimus nimietatis, loquacitatis immodicae suscipiamus et nos culpam; 144, 3 haec illi est pars hostis et illa huic hostilis; 166, 18 hoc enim forsitan rationis existimari possit et credi, illud sacrilegae mentis est et desperatae in fictionibus caecitatis; 210, 4—10 antea mos fuerat in allegorica dictione honestissimis sensibus obumbrare res turpes et foeda prolatu honestorum convestirier dignitate. at vero vobis auctoribus per turpitudinem dicuntur res graves et castitate pollentia obscenis commemorantur in vocibus, ut quod olim gravitas foedorum verecundia contegebat nunc verniliter turpiterque dicatur dignorum elocutione mutata; 238, 7 neque ulla contrahitur, si ea non feceris, culpa, neque ulla, si feceris, gratia. Conferas etiam 74, 7; 185, 14; 204, 13 etc.

[1]) cfr. Norden l. c. p. 606 et 621.

[2]) Habes *commutationis* figuram, de qua cfr. Auct. ad Her. 4, 39.

§ 5. De paromoeosi.

Etiam paromoeoseos vel alliterationis quam aetate posteriores appellaverunt usu Arnobius verum rhetorum discipulum se praebuit. Atque hac in re maxime cum Cypriano conferendus est, qui et ipse, ut ait Hieronymus (vir. ill. 67) «primum gloriose rhetoricam docuit» [1]). Nonnulla afferam exempla:

16, 15 *d*eos *d*onare muneribus; 17 *s*anguine illos *s*itire nostrum; 19, 30 ad nos *v*enit *v*ique ipsa *v*ivendi [2]); 24, 17 *f*orte vos *f*ugit, 19 *v*etustati *v*icini; 27, 3 non *s*piritum *s*ponte sed crudelitate effudit; 29, 21 *c*orporum *c*ruciamenta; 25 *c*oncordiam *c*olorum *c*ommaculatis *c*utibus relinquebant; 30, 5 *v*iduatos *v*idere luminibus; 31, 2 *s*e *s*emel iterum *s*aepius . . monstravit; 33, 14 *m*alorum *m*iserias; 37, 21 *v*eritatis ipsius *v*i victae, 38, 2 *v*is tanta *v*irtutum; 25 *v*ultis *v*era esse quae in *v*estris . . sunt scriptis; 41, 1 a *s*equentibus *s*aeculis communi esse in *s*ermocinatione *s*ervatum; 44, 15 *n*udant *n*obilitatibus civitates, qui matronarum pudorem ac *v*irginum *v*i subruunt; 21 qui conscriptione voluminum *m*ultiformi *m*aledictis *m*ordacibus carpunt publicos *m*ores; 45, 3 *t*estificatione *t*itulorum; 52, 4 *p*enitus *p*erspicitis; 21 *f*ictoris alicuius et *f*abricatoris manu . . acceperit *f*ormam; 28 somni sit *p*erpetui *p*ortio; 53, 4 *p*ili nigrorem ingenitum *p*onant neque omnes *p*ariter sed *p*aulatim . . canescant; 53, 17 negotiosum *a*liquod *a*tque *a*ctuosum genus, quod non fide praeeunte *s*uscipiant *s*umant *a*tque *a*dgrediantur

[1]) Norden l. c. p. 620.

[2]) Sequitur verba Lucilii («vis est vita». inc. 14 M.) quem 190, 15 laudat «vim vomuisse Lucilii».

*a*ctores; 54, 19 *p*rincipes et *p*raedictarum *p*atres sententiarum; 57, 11 *f*identem dis *f*alsis et .. *p*roditum *p*ondere *p*raecipitatum suo cruribus iacuisse *p*raefractis; 59, 10 *f*lumina torrentia *f*lammarum; 64, 5 ab una *v*eritate *v*enientes; 69, 6 camelus *s*ese *s*ummittere *s*ive cum *s*umit onera *s*ive cum ponit; 75, 2 *n*os *n*obis *n*ihil de *n*ostra infirmitate promittimus *n*aturam intuentes *n*ostram; 76, 28 largitus est *d*onum *d*eis *d*ie certa prolatis et .. *d*ignabitur immortalitate *d*onare; 79, 19 *d*ecipere *d*olis; 22 in *p*acata et *p*lacida tranquillitate; 80, 18 auxilia animalibus *m*utuarentur a *m*utis, 25 *c*utem *c*orporis, 26 *v*igorem *v*irilitatis; 85, 23 dei esse *p*rincipis *p*rolem; 86, 20 ex *m*ultitudinis *m*agnitudine *m*etiamur; 87, 16 *p*roturbare *p*ellere *p*ertinaci moliuntur obluctatione; 89, 23 rei *f*laccidae *f*ictionem; 99, 16 ab iure *p*otandi quisquam *p*rohibetur aut *p*ellitur; 102, 20 *r*epetitis *r*es *r*aptas, 23 in *p*enetralibus et culinis *p*erpetuos *f*ovetis *f*ocos; 103, 18 *n*ovellum *n*omen est *n*ostrum; 106, 4 *u*tpote *u*no ex *s*anguine *u*noque ex *s*emine; 107, 10 ex eius *p*erpetuitate *p*erficitur; 12 *s*pem *s*alutis adfigere et *s*alutaria *s*ubsidia conlocare; 108, 7 religio *n*ostra *n*unc *n*ata est; 112, 17 palmam *c*riminis *c*omprobati *c*alumniatoribus *c*oncessisse, 121, 2 sub *c*ostis earumque sub *c*ratibus *c*utes *c*ontegunt; 124, 16 *m*obilitate *m*ultiiuga lingua sonos articulet et *v*ocem in *v*erba conformet; 135, 12 specialia *n*uminum *n*omina; 138, 14 *n*ec eorum *n*umerum *n*ec *n*omina sciri; 143, 11 ex rei compertae *f*aciatis *f*ide an *f*ictionibus *l*udentes cassis ingeniorum *l*asciviatis per *l*uxum; 24 Romulus *t*enuisset *t*eli *t*raiectione palatium; 149, 6 curam magis *d*eorum *d*iligentiamque *d*esiderant; 160, 17 Cythereiae Veneris *c*oncretum *c*oaluisse candorem; 167, 20 *p*atitur *p*eccare *p*eccantem, 24 *m*orsum habet *m*inorem; 183, 28 ut *m*ero *m*adidaretur *m*ulto; 193, 23 *p*uer *p*udoris spoliatus est honestate; 187, 22 *f*idei *f*irmitate conixa — an *f*alsitatis alicuius *f*ictione composita; 221, 18 *f*acitis *f*iguratisque; 248, 9 si quispiam *v*iso .. *v*iro *v*ia decedat; 251, 21 curam *v*estium in *v*aletudinem *v*ertere; 252, 20 *l*actentium *l*enitatem; 267, 11 *s*alapittarum *s*onitu; 273, 4 ad *p*ericulum libertatis auferendae *p*roeliorum *p*rosperitate iam *p*roximi; 279, 4 *t*ortuosis voluminibus se *t*rahens, atque ut *p*ergere *p*rorsus *p*ossit, *p*artem sui *p*ostremam conatibus *p*rioris adducit.

Habes παρονομασίαν in his vocum coniunctionibus: 22, 18 ex eius *p*erpetuitate *p*erpetua; 42, 18 *d*issolutione *d*ilabi; 19 *c*ongregatione *c*onpactum; 53, 5 humores *u*niversi *u*num corpus efficiant, 22 *c*oniugalia *c*opulatis *c*onsortia; 109, 29 *pe*rsecutiones *pa*titur *pe*rpeti vos; 116, 2 nullam veritus *im*pietatis *in*vidiam *in*genue; 117, 4 per *co*itus et *co*nubia *co*rporum res *ca*duca; 129, 20 *dis*cordiarum et *dis*criminum causas; 194, 23 ad *f*idem *f*acto *f*aciendam; 273, 3 *con*tinua populum *con*tage *con*ficiens.

Haec ὁμοιοτέλευτα collegi: 21, 3 sine situ motu et habitu; 86, 1 agi fieri statui nisi sq. 95, 24 alios sapores alios odores alios colores; 112, 5 apex ullus ullius praetermissus est; 231, 6 quia quae sunt priva singulariaque natura multa

§ 6. De anaphora.

Praeter anaphoram quam Arnobius in interrogationibus (de qua cfr. § 1) adhibuit, ea quae sequuntur exempla invenimus.

α) *particularum.*

13, 14 quid est enim aliud irasci, *quam* insanire, *quam* furere, *quam* in ultionis libidinum ferri; 21, 31 sq. cui *non* sit ingenitum, *non* adfixum, *non* impressum, *non* insitum; et sic saepissime; 44, 3 quater, 44, 7 quinquies, 45, 24 quater; 58, 27 ter etc.; 19, 27 *quod* sumus, *quod* esse homines dicimur, *quod* .. continemur; *si* ter 22, 2 sq.; *nisi* ter 129, 3; *sed* ter 145, 21 sq.; *cum* c. Indicativo coniunctum quater 144, 17; 85, 20 *tam* supervacua, *tam* vana, *tam* .. pertinentia rationes; 28, 29 *sine* ulla vi carminum, *sine* herbarum .. sucis, *sine* ulla aliqua observatione.

β) *pronominum.*

11, 18 pax *nulla* in terris, *nulla* protinus vilitas; *nulla* quinquies 132, 12; quater 133, 22 etc.; 36, 12 *nihil* ut remini magicum, *nihil* humanum, .. *nihil* fraudis; 19, 3 *nobis* solis sunt inimici, *nobis* asperrimi dii hostes; 55, 13 *vos* Platoni, *vos* Cronio, *vos* Numenio .. creditis; etiam ter 119, 10; bis 123, 19 sqq.; 16, 1 *vestra* sunt haec, *vestra* sunt; 18, 1 *haec* totius summa est actionis, *hic* propositus terminus .. *hic* finis, *huic* omnes .. prosternimur, *hunc* .. adoramus, ab *hoc* .. iusta ..

deposcimus; cfr. etiam 24, 9 sq. 101, 11 sqq.; 64, 5 *unum* nosse *unum*que reminisci; 106, 4 *uno* ex sanguine *uno*que ex semine; *soli* ter 51, 14 etc.

γ) *nominum.*

15, 15 *verba* sunt haec, *verba* sunt; 25, 1 *deus* dici *deus*que sentiri; 36, 5 *deus* ille sublimis fuit, *deus* radice ab intima, *deus* ab incognitis regnis . . missus; 36, 9 *periculum* adlatura sed nobis, *periculum* inquam non parvum; 283, 22 *lapis* ex Italia depulit, *lapis* fugit, *lapis* fugacem . . fecit;

11, 18 *continua* fuerunt bella, *continuae* sterilitates; 20, 25 *dignus*, *dignus* es; 104, 16 *certo* ergo a tempore deus esse Iuppiter coepit, *certo* cultus . . commereri, *certo* fratribus . . anteponi; 134, 12 *cassum* iterum nomen est Cereris, *cassum* Dianae

δ) *verborum.*

14, 21 *possunt* quater; 60, 17 sq. et 66, 3 *vultis* ter.; 68, 4 *volumus* videre, *volumus* scire; 71, 23 *desinite*, quaeso, *desinite* res parvas . . aestimare, *desinite* hominem . . adscribere; 96, 7 *fugiant* ter; 115, 5 sq. *potest* ter; 118, 15 *havet* animus . . *havet* inquam; 130, 24 *esse* ter; 157, 16 *habent* ter; 169, 26 *sedent* s. *sedet* ter; 245, 12 *vacant* ter; 271, 29 *ventum* ter.

ε) *connexorum verborum.*

21, 11 sq. et 30, 1 sq. «*unus fuit e nobis*» undecies iteratur; 41, 5 sq. *non item* quater; 58, 3 sq. *audetis videre nos . .?* quater; 79, 9 sqq. «*idcirco animas misit*» duodecies; 194, 8, 13 *vellem* itaque *videre . . vellem*, inquam *videre*; 249, 21 sq. *quod est honoris genus?* ter iteratur.

§ 7. De antonomasia.

Huius figurae usu Arnobium poëticam dictionem imitatum esse iam initio huius capitis diximus, eas autem verborum copulationes plerumque ex ipsis carminibus depromptas esse aut iam probavimus (cfr. Cap. I) aut in nonnullis perscribendis ostendemus.

vir Troicus 23, 19 — Anchises; *Martium discrimen* 102, 20 — bellum (cfr. Lucan. 3, 336 discrimina Martis); *sali* (vox poëtica) *dominus* 104, 13 — Neptunus; *Phrygia mater* 107, 19 (*Mater Phrygia* 284, 8) — Cybele (cfr. Verg. Aen. 7, 139 Phrygiam . . matrem invocat); *Latonius vates* 125, 26 — Apollo (cfr. Verg. Aen. 11, 557 Latonia virgo); *auxiliator Epidaurius* 126, 1 — Aesculapius (Ovid. Met. 15, 723 simplici voce «Epidaurius» designatus); *virgo Tritonia* 126, 5 — Minerva (cfr. Verg. Aen. 2, 171, Ovid. Met. 2, 783 etc.); *Atlantea progenies* 126, 7 — Mercurius (cfr. Hor. Carm. 1, 10, 1 facunde nepos Atlantis); *speciosa illa Cupidinum mater* 129, 13 — Venus (cfr. Hor. C. 4, 1, 5); *caduceator ille Cyllenius* 133, 8 — Mercurius (cfr. caducifer Ovid. Met. 2, 708; 8, 627 Cyllenius saepissime apud Vergilium Ovidium Lucanum); *Semeleius* 134, 4 — Bacchus; *corniger ille venator* 134, 17 — Actaeon; *Saturnius* 176, 5 (etiam genitor Saturnius 104, 20, Saturnium numen 131, 23; rex Saturnius 159, 5) — Iupiter (cfr. Ovid. Met. 8, 703; pater Saturnius 1, 163); *Diespiter* 176, 11 —. Iupiter (cfr. Hor. Car. 1, 34, 5; 3, 2, 29); *Cecropii* 196, 10 — Athenienses (non raro apud poëtas); *Erechthidae* 197, 24 — iidem (cfr. Ovid. Met. 7, 430) *cives Minervii* 197, 24 — etiam Athenienses; *Thracius* 191, 12 — Orpheus, etiam *Threicius vates* 197, 11, *Calliopae filius* 197, 14 nominatur. (cfr. Verg. Buc. 4, 55 Thracius Orpheus etc.); *rex Manium* 195, 26 — Pluto; *Semeleia suboles* 212, 21 — Liber (cfr. Ovid. Met. 3, 520 proles Semeleïa); *Phaethontis genitor* 211, 21 — Apollo; *gnatus Maiae* 223, 18 — Mercurius (cfr. Hor. Car. 1, 2, 43 almae filius Maiae; Sat. 2, 6, 5 Maia nate; Verg. Aen. 1, 297 Maia genitum; Ovid. Met. 11, 303 Maia . . creatus); *Delius* 223, 24 — Apollo; *Alcida* 266, 29 — Hercules (cfr. Verg. Buc. 7, 61; Aen. 6, 123 etc.); *Melae fluminis filius* 161, 17 — Homerus.

§ 8. De circumscriptionibus.

Praeter ceteros Arnobius a simplici et propria locutione discedens sordida et cotidiana verba vitat et arcessitis, redundantibus, non raro poëticis utitur[1]). Satis habebo nonnulla afferre exempla:

[1]) cfr. Cap. IV. De sermonis variatione.

Pro *nascendi* notione: 21, 30 diem primae nativitatis intraverit; de *vitam degendo* 66, 11 ante acti temporis decurrerit aevitatem; 181, 21 intra . . fines aevitatem suam habere conclusam; de *moriendo* 26, 29 vinculis corporis naturali dissolutione digressus est; 43, 3 lege humanitatis extingui; 75, 5 soluti membrorum abieritis e nodis; de *mortuis* 171, 14 resolutis corporum vinctione; de *«permanendo»* 73, 6 cum omnibus saeculis aevorum perpetuitate procedere; 91, 3 cum omnibus saeculis pertinaci continuatione procedere; de *videndo* 54, 4 oculata vidistis inspectione; de *obliviscendo* 220, 2 vetustatis obliteratione celari; 242, 28 oblivionem obducat; de *nominando* 145, 17 in vocabulum . . transit; de *reprehendendo in altero* 105, 15 quae in te possint reciprocata vicissitudine retorqueri. — Pro verbis *quae potentia debebat deus appellari* dicit 251, 26 cui potentiae debeat nominis huius vis subdi appellatioque supponi; pro *sine dubio* 28, 6 sine ullius seriae dubitationis ambiguo; pro *multum differentes* res 155, 29 multo dissociatae discrimine (vox poëtica); pro *longe abest* 262, 17 nec exigui limitis interiectione discreta; pro *ut ait Varro* 222, 16 Varronis ut indicant Musae; de *diis qui perpetuo generantur* 117, 14 per suboles subolum multiplicata semper innumerabilitas ampliatur; *mysteria* dicit 43, 13 abditos recessus thesauri interioris.

Hoc loco memorandi sunt genetivi synonymorum ut: 98, 10 beneficii munere, 99, 18 beneficium muneris; 100, 7 corruptionis dissolutione; 105, 3 formam circumscriptionis; 121, 13 similitudinis species; 129, 11 taciturnitatis silentio; 162, 18 castimoniae virginitate privasse; 173, 9 moderaminis temperamentum secutus; 257, 5 ex usu consuetudinis; 275, 12 pestilentiae morbo; 277, 17 voluptatum in gaudia[1]).

Saepe nominibus substantivis universae significationis Arnobius utitur, ubi adiectiva exspectas Ut 15, 9 in acoris perfidiam vinum repente mutari; 39, 5 spatiorum . . longinquitate distantibus; 50, 6 comprehendi nullius . . anticipationis attactu; 55, 28 unius imperii iussione non dicam maris insanias aut tempestatum furores prohibere; 93, 30 suspicionum ex-

[1]) cfr. Index Reifferscheidii p. 347.

ponere . . audaciam; 108, 17 temporis opportunitatibus; 118, 7 in libidinum furias gestire; 119, 1 talia . . opinionum indignitate praesumere; 121, 9 utres sufflatos turgidorum corporum inanitate; 121, 27 fluidarum vestium superiectione perfusos; 129, 20 terrarum longinquitate diiunctas; 134, 16 abluentem membrorum sordes; 139, 14 sententias opinionum mille varietatibus prompseritis; 151, 5 serii atque in oris taetrici asperitatem durati; 154, 12 armorum succincta terroribus; 160, 6 ex pelagi spuma . . Veneris concretum coaluisse candorem; 165, 5 in convicium numinum opinionum petulantia conferatis; 184, 9 aquarum innoxias puritates multa sauciantem vi meri (vox sauciandi a poëtis usurpata); 173, 11 verborum ambiguitatibus lusus; 198, 14 orbis peragrant vastitatem; 229, 24 in sedis obscurae coercitione latitare; 232, 5 custodiam numinum canum sollicitudinibus credere; 251, 16 exigui temporis contracta interiectione; 281, 15 silvarum densitatibus se dedit.

§ 9. De metaphora s. translatione.

Arnobii libri metaphoris abundant, neque tamen in summa multis utitur novis, sed ita deflectit ab usu communi, ut eas verbis augeat amplificetque. Hac quoque in re cum Hieronymo[1]) eum nimium esse dixeris.

1) Translationes ab *igni* sumptae.

Iam apud aureae aetatis scriptores: ira inflammari et libidine furere (ex gr. Cic. de nat. de. 1, 42), ita apud Arnobium 14, 18 ardere ira; 118, 7 libidinum furias; 135, 24 incalescere irarum flammis; sed etiam 56, 27 subdidit *adpetitionum flammas;* 47, 13 *ardoribus avaritiae flagrans;* 47, 9 *rabidorum pectorum effervescatis ardoribus;* 80, 26 inexaturabili pectoris *ardescerent adpetitu;* 159, 4 in femineos appetitus *inflammati pectoris incaluisse fervore;* 168, 18 *furialium — ardore discriminum;* 171, 25 *concipiunt has faces* (cfr. Lucr. 3, 303 irai fax; Lucan. 1, 262 faces belli) 271, 25 calor omnis numinum indignatioque *frigescunt* (cfr. Quint. 11, 3 133 frigescit affectus).

[1]) Hieronym. 58 (ad Paulin.) 10 Arnobius inaequalis et nimius.

2) Ex *lumine tenebris*que sumptae.

47, 19 lumen praetendit vitae; sed etiam pro «vita» dicitur 275, 22 prius acerbitatem mortis quam dulcerdinem aliquam perciperent *luminis;* 276, 11 *luminis* sui spoliatione (non raro apud poëtas, ut Lucr. 3, 1033 lumine adempto; Verg. Aen. 2, 85 cassum lumine etc.) 110, 20 tenebrosam evadere *caecitatem* (= hanc vitam); 120, 5 *litterarum . . nubes* atque involucra relaxare; 242, 8 *in nubibus semper ignorationis incedens* (cfr. Lucan. 6, 297 sub nube timoris).

3) Ex *vento.*

84, 2 sub procellis agerent tempestatibusque cotidie fortunae (Sen. Agam. 594 fortunae procellae); 123, 4 *indignationum turbines concitare;* 192, 3 fremitum continere tempestatemque irarum.

4) Ex *aqua.*

53, 16 meraco sapientiae tincti et saturi potu; 68, 16 amina . . *affluens ex crateribus vivis;* 172, 1 mala quibus *inundatur . . mortalitas.*

5) Ex notionibus *movendi, proficiscendi, ducendi* arcessitae metaphorae.

45, 13 in *abditos recessus* thesauri interioris *inducere;* 50, 23 [natio] *in placidos sensus* adsumpta tranquillitate *migraverit;* 57, 25 (etiam 191, 18; 263, 21) *inequitare* pro «includere»; 6, 25 *historias ite per vestras;* 152, 16 capita *ire per singula;* 155, 15 cessabimus *ire per singula;* 277, 3 *per alias ire licebit historias* (Hac translatione ab Ovidio primum adhibita Quintilianus primus in pedestri oratione usus est, ex. gr. 6, 1, 12 certius est ire per singula).

Comparationem habes 25, 8, ubi de Christo dicitur, qui velut caecos passim ac sine ullo rectore gradientes ab deruptis, ab deviis locis planioribus reddidit.

6) De *partibus corporis* sumptae translationes.

Usitatae de *auribus* tr., ut 8, 15 decretis aurem vellent commodare, etc.

42, 15 prius *te formares ad non credendi frontem;* 203, 3 in *prima est positum verborum fronte,* cfr. 273, 25 et Cap. I. § 1 b.

30, 11 calcabat ponti *terga* (cfr. Lucan. 5, 565).

8, 24 in manibus posita disceptatio; 105, 27 [rationes] videre . . et *contrectare,* quemadmodum dicitur, *manibus;* 252, 1 nobis in *manibus* hostiarum *sermo versatur.* Communes de *pectore* translationes, ut 39, 22 angusti pectoris reprehensio, 115, 29 pectoris vivi, 124, 26 optusi pectoris etc.

80, 28 *viscera* ignota terrarum (Ovid. Met. 1, 138 viscera terrae).

8, 16 fastu et supercilio tumidi; 26, 1 *elatas supercilio cervices;* 47, 17 *adrogantiae supercilio tumidus.*

7) *Actio corporis* in mentis actionem transfertur.

Aperiendi notionem habes 48, 3 vota immortalitatis *apertaret;* 52, 5 naturalia pergitis *reserare* (Ovid. Met. 15, 145 reserabo oracula); de notione *vestiendi* et *ianuae* cfr. Cap. I § 1 b et c ubi de Lucretii imitatione scripsimus.

44, 15 *nudant* nobilitatibus civitates

Pugnandi et *vulnerandi* notionem habes: (iam apud Horat. ep. 1, 16, 38 *mordear* opprobriis falsis; apud Ovid. rem. am. 367 tua sacrilegae *laniarunt* carmina linguae) sic 184, 24 *morsum habet* minorem; sed amplificatis metaphoris 84, 16 se omnes maledicerent, carperent et *saevorum dentium mordacitate laniarent;* 118, 23 telis gravibus *fixae* (de doloribus parturientium); 232, 3 sacrilegos poenis convenientibus *figant;* 167, 26 *inurit* (i. e. infamat) innoxios (cfr. Liv. 3, 58 inustam maculam); 184, 9 aquarum innoxias puritates *multa sauciantem vi meri* (saucius pro ebrio dicitur apud Iustinum, Martialem, Appuleium); 96, 10 verecundiam *convellitis et dilaceratis* nostram.

8) Metaphorae *de re publica Romana* sumptae.

50, 30 salutaris militiae sacramenta (de religione Christiana) deponere; 40, 21 in mundi constitutionibus lex scripta; 71, 25 desinite hominem, proletarius cum sit, classicis, et capite cum censeatur, adscribere ordinibus primis; 112, 17 palmam criminis comprobati . . concessisse; 114, 24 nominibus suis censum compleant; 132, 10 deorum tollit e censu; 134, 1 deorum imminuitur census; 142, 8 superorum retuleritis in censum.

9) *Singulae metaphorae.*

Longum est omnes enumerare, sed quasdam ex eis proponere satis erit:

86, 17 et 130, 19 *tenere apicem* perfectionis (iam Cicer. Cato 60 apex est autem senectutis auctoritas); 9, 17 Plato, ille sublimis *apex* philosophorum et *columen*. 224, 27 in *cacumine* ipso . . pulcritudinis (cfr. Lucr. 2, 1130 alescendi summum tetigere cacumen); 233, 10 *mente anima lumine rationis indicioque caecatis (Cic.* Tusc. 5, 39 animi acies caecetur erroribus etc.); 24, 13 in *contempta humilitate calcari* (Livius 32, 2 de calcata libertate dicit); 119, 17 *abiecisse clavum* dii dicuntur (germanice die Flinte ins Gras werfen), Cicero quoque (pro Sestio 20) illa figura utitur: Quis enim clavum tanti imperii tenere et gubernacula reipublicae tractare . . posse arbitraretur . .; 3, 9 calumniosas dissolvere criminationes; 157, 26 in obscenas dissolverent . . voluptates; 223, 20 languoris feminei *dissolutissimus laxitate;* 130, 5 *disseruntur* tenacium matrimoniorum nexus.

§ 10. De clausula.

Extra fines terminosque huius opusculi egrederer, si hoc loco omnes clausulas Arnobianas vellem enumerare. Satis erit statuere, Arnobium hoc quoque rhetorum ornamento diligenter usum esse non solum in fine periodi, sed saepe etiam ad eam in partes discerpendam. Norden in doctissimo opere suo (Antike Kunstprosa p. 930) legem sanxit, ut ii scriptores soli clausulam rhetoricam servent, apud quos clausulae huiusmodi longe superant: –́ ⏑ –̀ –́ ⏑, –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏓, –́ ⏑ – ⏑. Illius viri vestigiis ingressi e diversis partibus operis Arnobiani enuntiatorum nonnullas series transcribam:

I 1. Quoniam comperi nonnullos, qui se plurimum sapere suis persuasi*onibus credunt* (–́ ⏑ –̀ –́ –), insanire, bacchari et velut quiddam promptum ex or*aculo dicere* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏓): postquam esse in mundo Christi*ana gens coepit* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑), terrarum orbem perisse, multiformibus malis affectum *esse genus humanum* (–́ ⏑ ⏓ ⏑ –́ – ⏓)[1], ipsos etiam caelites derelictis curis solemnibus, quibus quondam solebant invisere res nostras, terrarum ab regionibus ex*terminatos* (–́ ⏑ – ⏓): statui pro captu ac mediocritate sermonis contraire invidiae et calumniosas

[1]) Hic declinat ab usitata clausula.

dissolvere crimi*nationis* (–́ ⏑ – –), ne aut illi sibi videantur, popularia dum *verba depromunt* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏓), magnum aliquid dicere aut si nos talibus continuerimus ab litibus, obtinuisse se caus*am putent victam* (–́ ⏑ –̀ – ⏓) sui vitio non adsertorum silentio *destitutam* (–́ ⏑ – ⏓) neque enim negaverim validissimam esse accusati*onem istam* (–́ ⏑ – ⏓) hostilibusque condignos *odiis nos esse* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏓), si apud nos esse *constiterit causas*[1]), per quas suis mundus aber*ravit ab legibus* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏓), exterminati sunt dii longe, examina tanta maerorum mortalium impor*tata sunt saeculis* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀).

Cfr. I 34 (p. 22, 12 sqq.) Dissimilia copulare atque in unam speciem cogere inducta confusi*one conamini* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –́). nam deus omnipotens mente una omnium et communi mortali*tatis adsensu* (–́ ⏑ –̀ –́ –) neque genitus scitur neque novam in lucem aliquando *esse prolatus* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑)[2]) nec ex aliquo temporis puncto coepisse *esse vel saeculo* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –́)[2]) ipse est enim fons rerum, sator saecul*orum ac temporum* (–́ ⏑ –̀ – ⏑ ⏓). non enim *ipsa per se sunt*, (–́ ⏑ –̀ –́ ⏓) sed ex eius perpetuitate perpetua et infinita semper continuati*one procedunt* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏓).

Conferas initium libri secundi (p. 47, 2 sqq.): Hoc in loco tribui si ulla facultas posset[3]), vellem cum his omnibus quibus nomen in*visum est Christi* (–́ ⏑ –̀ –́ –) ab instituta principaliter de*fensione* (–́ ⏑ –́ ⏑) deverticulo paulisper facto talia *verba miscere* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑); si nullam esse ducitis contumeliam respondere aliquid int*errogatos* (–́ ⏑ – –), edissertate nobis et dicite[3]): quid rei, quid causae est, quod tam gravibus insectamini *Christum bellis* (–́ – – ⏓), vel quas eius contin*etis offensas* (–́ ⏑ –̀ –́ –), ut ad eius nominis mentionem rabidorum pectorum efferves*catis ardoribus?* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏓) numquid regiam sibi vindi*cans potestatem* (–́ ⏑ –̀ – ⏑) terrarum orbem cunctum legionibus infestissimis *occupavit* (–́ ⏑ – ⏑) et pacatas ab exordio nationes alias de*levit ac sustulit* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏓) alias sibi parere cervicibus compulit *subiugatis?* (–́ ⏑ – ⏑)

[1]) Hic declinat ab usitata clausula.
[2]) Animadvertas verborum collocationem clausula causa.
[3]) Hic habes aliam clausulam.

Videas postremo eiusdem libri cap. 49 (p. 86, 14 sqq.) Nullam referimus *quaestionem* (–́ ⏑ – ⏑) an ulli aliquando fuerint tales in quibus omnino nihil ista ipsa quae dicitur desider*aret integritas* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀). sint licet perhonesti fuer*intque laudabiles* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀), tenuerint apicem perfecti*onis summum* (–́ – ⏑), nec in aliquo lapsu eorum aliquando claudic*averit vita* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑): sed aud*ire deposcimus* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ⏑) quot sint aut fuerint numero [1]), ut ex multitudinis magnitudine *metiamur* (–́ ⏑ – ⏑), an oppositio *iusta sit facta* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑) et an aequalitatis conpensati*one librata* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑). unus duo tres quattuor decem vig*inti centum* (–́ – –́ ⏑), certe numero *definiti* (–́ – –́ –) et nominum forsitan conprehensionibus *terminati* (–́ ⏑ –́ –). sed genus humanum non *ex bonis pauculis* (–́ ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀) sed ex ceteris omnibus aestimari convenit et *ponderari* (–́ ⏑ – –).

Sed haec hactenus: his enuntiatorum exemplis satis mihi videor demonstravisse, Arnobium, sicut Minucium Felicem, imprimis Cyprianum, legem supra dictam diligenter secutum clausulis quas enumeravi uberrime usum esse, ut numerose exiret oratio sua.

Cap. III.

De enuntiatorum structura.

Enuntiatorum structura simplex et aequabilis est, ita ut Arnobius magis exempla probatorum auctorum sequi videatur [2]). Attamen ut apud argenteae quae dicitur aetatis scriptores, ad quos eum propius accedere manifestum est, ars periodos concinne circumscribendi amissa est, rarae enim sunt periodi recte constructae, ut 34, 1 cum videret vos esse gestarum . . abrogatores // ne qua subesset suspicio, magicis se artibus . . largitum, ex immensa ille populi multitudine, quae suam gratiam sectabatur admirans, piscatores . . atque id genus delegit inperitorum, qui per varias gentes missi cuncta illa miracula . .

[1]) Observa partem priorem versus heroici.

[2]) Norden l. c. p. 605 de eo scribit: stilistisch offenbar Anhänger einer mehr klassicistischen Richtung.

perpetrarent. Cfr. etiam initium operis, vel 46, 20; 60, 10; 195, 22; 214, 2 sqq. Saepe multitudine sententiarum secundi ordinis quae sequuntur brevem sententiam primariam, verborum structura languida fit, cfr. duodecim enuntiata verbis «idcirco animas misit» inchoantia 79, 15 sqq., ubi animadvertenda sunt paria verba sibi respondentia (ἰσόκωλα). etiam pariter interdum terminata: 82, 2 idcirco animas misit, ut viarum aliae infestarent meatus / aliae circumscriberent nescios / testamenta supponerent falsa / venenatas conficerent potiones sqq.; 82, 17 sqq. idcirco a. m. . . venalia ut prosternerent corpora // vilitatem sui populo publicarent // in lupanaribus prompt*ae* // in fornicibus obv*iae* sqq. 83, 24 sqq. procul haec abeat sceleratae opinionis immanitas, ut deus credatur . . tam mobiles animas genuisse // gravitatis ac ponderis constantiaeque nullius // in vitia labiles // in peccatorum genera universa declives // . . in corpora ire iussisse . . ut ferarum paterentur aliae laniatus // muscularum aliae ut interirent veneno // claudae ut incederent aliae // ut aliae lumen amitterent // ut articulis sederent aliae colligatis // morbis denique obiectarentur ut cunctis sqq. Cfr. etiam 84, 10 sq. 85, 2 sq. Qua ratione crebrius Arnobius enuntiata coniungat, in his quae sequuntur breviter commemorare liceat.

§ 1. Enuntiationes primariae cum enuntiationibus secundi ordinis coniunctae.

a) Saepissime Arnobius hoc modo enuntiationes copulat, ut condicionalem sequatur interrogativa enuntiatio, ut v. gr. 5, 28 Si enim nos sumus in causa et . . excogitatae sunt hae partes // unde novit antiquitas miseriarum haec nomina, unde bellis significatum dedit? Sic millies, ut 6, 5; 7; 27; 8, 20; 12, 13; 12, 17; 21; 25; 13, 4; 5, 7; 13, 7; 22, 2; 23; 25, 2; 37, 11; 41, 21; 42, 23; 43, 1; 45, 21; 47, 5; 56, 20; 66, 17; 20; 23; 71, 10; 73, 6; 76, 1; 77, 10; 85, 7; 98, 17; 99, 10, 17; 224, 1; 245, 20 etc.

b) Pro condicionis forma, cui sententia interrogativa subicitur, etiam causalis usurpari potest, ut v. gr. 28, 6 cum vero deus sit re certa et sine ullius seriae dubitationis ambiguo //

infitiaturos arbitramini nos esse . .? Sic etiam 20, 8; 50, 5; 54, 26; 98, 8; 103, 7; 10; 13; 105, 9 etc.

c) Etiam sequi potest enuntiationem interrogativam condicionalis, ut 11, 28 sq. quemadmodum enim res agi et usque ad hoc tempus genus quisset durare mortalium // si non omnia quae usus vitae posceret subministraret fertilitas rerum? Cfr. 40, 2; 41, 27; 61, 13; 74, 17; 75, 27; 90, 2; 266, 22; 25; 27; 28; 267, 1 etc.

d) Coniunctioni condicionali etiam particula *ecce* addi potest, conferas 224, 1 ecce si aliquis vobis nescientibus . . tollat // quibus modis internoscere poteritis . .; sic 226, 23; 243, 13; 250, 29. Is usus frequentissime apud Apuleium invenitur [1]).

e) Contra usum scriptorum aureae aetatis imperativo subiungitur sententia adnexa saepe coniunctione *et*: 6, 25 historias ite per vestras *et* ab istis pestibus instruemini; 185, 6 addite huc etiam idcirco esse uvida . . *et* fabulam convenienter implestis; 213, 5 da veram iudicii formam, *et* in illa eritis reprehensionis parte; tantum 6, 21 enuntiationes non coniunguntur; duobus locis 150, 26 et 251, 17 altera sententia inchoatur vocibus: *iam profecto*.

§ 2. Sententiarum parataxis pro hypotaxi.

a) Sententiae primariae sine coniunctione apponuntur sententiis primariis. 10, 10 pluit mundus aut non pluit: sibimet pluit aut non pluit; 10, 28 morsu animam serpens tollit: maledicas primordiis rerum . .; 18, 25 in civitatibus . . sacra publice fiunt scortis . .: nullus tumor indignationis in diis est. templa faelibus . . sublimibus sunt elata fastigiis: silent inrisae numinum potestates; 32, 24; 46, 9; 111, 12; 17; 180, 3; 193, 19 etc.

Etiam interrogativa enuntiata sic ponuntur: 10, 24 veratrum venenum est hominibus: numquid . . non debuit nasci? ovilibus insidiatur lupus: numquid in culpa natura est . .? 11, 25 trecenti sunt anni ferme minus vel plus aliquid . .: numquid omnibus his annis continua fuerunt bella . .? etc.

[1]) Qua de re cfr. Koziol, Stil des Apuleius, p. 316.

Saepissime autem coniunctione *et* interrogatio cum priore sententia copulatur: 127, 10 per maria Mater Matuta tutissimas praestat commeantibus navigationes: *et* cur insanum mare tam frequentes exposcit . . ruinas: salutaria et fida consilia nostris suggerit cogitationibus Consus: *et* in contrarios exitus cur adsidue vertitur placitorum inopinata mutatio? armentorum et pecorum gregibus Pales praesunt Inuusque custodes: *et* cur saeva contagia . . non curant? Flora illa . . curat ut arva florescant: *et* cur cottidie gemmulas et pubescentes herbas adurit . . frigus? puerperiis Iuno praeposita est et auxiliatur genetricibus fetis: *et* matrum intereunt cur cotidie milia . .? in tutela Vulcani est ignis . .: *et* cur aedes frequentissime sacras atque urbium portiones ad cinerem patitur flammarum voracitate conlabi? divinationis scientiam largitur hariolantibus Pythius: *et* cur obliquata . . dat saepius . . . responsa? Aesculapius officiis et medendi artibus praeest: *et* cur plura morborum et valetudinum genera ad sanitatem nequeunt incolumitatemque perduci . .? curat Mercurius ceromas, pugillatibus et luctationibus praeest: *et* cur invictos omnes non perficit quibus praeest . .? 244, 5 habent iecora pulmones corda intestina ventriculos: *et* mihi membrorum non idem est numerus attributus? amant suos fetus et gignendis conveniunt liberis: non *et* mihi prolis et subrogandae est cura et dulcedo, cum fuerit procreata?

b) Contraria contrariis opponuntur.

Conferas quae Cap. II § 4 de antithetis diximus. Hic habes alia exempla: 18, 16 et illi cati sapientes prudentissimi vobis videntur . .: nos hebetes stolidi fatui obtunsi pronuntiamur et bruti; 32, 28 hunc enim non est turpe rebus extrinsecus sumptis valetudinem hominis fecisse meliorem: indecorum deo est; 55, 13 vos Platoni, vos Cronio, vos Numenio vel cui libuerit creditis: nos credimus et adquiescimus Christo; 75, 4 vos . . alas vobis adfuturas putatis quibus ad caelum pergere atque ad sidera volare possitis: nos tantam reformidamus audaciam; 122, 14 Aegyptiorum ridetis aenigmata . .: vos effigies hominum tamquam deorum veneramini potestates; 270, 2 vos pecorum sanguine, vos caedibus et mactationibus hostiarum gaudere . . remini . .: nos amorem sanguinis nullum esse in caelitibus ducimus. Cfr. 221, 23; 27; 252, 28; 270, 6; 11.

Quae opponuntur, etiam particulis *at vero, at vero contra* inchoantur: 74, 29 vos vestrarum animarum salutem in ipsis vobis reponitis.. *at vero* nos nobis nihil de nostra infirmitate promittimus; 75, 10 vos in aulam dominicam tamquam in propriam sedem remeaturos vos sponte.. praesumitis: *at vero* nos istud.. speramus; 269, 2 ac primum vos deos.. profitemini esse natos: *at vero* nos *contra*.. aut ingenitos esse censemus etc.; 24 discordias alios ex his vos, alios dicitis qui pestilentias inrogent.. *at vero* nos *contra* ab ingeniis numinum esse.. disiunctas. Cfr. 157, 10; 253, 9.

§ 3. Sentontia alteri sententiae dempta coniunctione apponitur. (ἀσύνδετον)

a) Ut omnes scriptores[1]) asyndeto sententiarum Arnobius saepe utitur, cum facta factis celeriter succedere demonstrare vult.

Conferas ex. gr. narrationem 178, 4 sqq. haustum accurrit Agdestis // immoderatius potionem hiantibus venis rapit // fit ut insolita re victus soporem in altissimum deprimatur // adest ad insidias Liber // ex setis scientissime conplicatis imum plantae inicit laqueum // parte altera proles cum ipsis genitalibus occupat sqq. Sic 185, 13; 187, 9; 177, 11; 191, 20; 192, 7 etc.

b) Asyndeton usurpatur etiam in singulis sententiis enumerandis sive primariis sive secundariis.

Tres sententiae ita ponuntur 33, 4 sq. quot milia vultis a nobis debilium vobis ostendi.. cum per omnia supplices irent templa // cum deorum ante ora prostrati limina ipsa converrerent osculis // cum Aesculapium ipsum datorem.. precibus fatigarent. 113, 1 in hoc omne quod colendum est colimus // quod adorari convenit adoramus // quod obsequium venerationis exposcit venerationibus promeremur; cf. 129, 1; 130, 17. Plures sententias habes ex. gr. 31, 6 sq. cuius nomen auditum fugat noxios spiritus // inponit silentium vatibus // haruspices inconsultos reddit // adrogantiam magorum frustrari efficit actiones.. cf. 36, 23; 108, 8; 110, 3; 215, 1; 267, 17.

---

[1]) Hoc narrandi genere imprimis utitur Fronto (cfr. Arion p. 237 ed. Naber).

c) Saepe opponitur sententia alteri.

Praeter exempla in § 2, b et Cap. II § 4 a me scripta conferas etiam 15, 1 opportunis imbribus vestra inrigent rura // pluviarum quicumque sunt rores nostris ab agellulis abigant // lanitia curent vestra numerosis fetibus multiplicari // sterilitatem infaustam nostris pecuariis inferant; 33, 14 nisi forte dicetis opem bonis ab diis ferri // malorum miserias despici; 269, 11 vos habere sexus deos.. censetis // nos potentias caelites discretas esse sexibus abnegamus.. vos hominum similitudinem gerere.. existimatis // nos effigies remur submotas esse ab his longe etc.

§ 4. De vocabulorum asyndeto.

Hoc de usu plurimorum scriptorum egregie Nordenius disseruit in libello quem de Minucii Felicis aetate et genere dicendi scripsit pg. 29 sqq.[1]) Quem secuti primum de ἀσυνδέτῳ δικώλῳ dicimus, tum ad τρίκωλα et τετράκωλα et plurium vocabulorum coniunctiones transibimus.

a) Bimembris dissolutionis quam vocat omnium longe plurima exempla Plinium iuniorem et Arnobium habere Nordenius l. c. p. 34 recte animadvertit. Atque de synonymis hunc in modum copulatis in Cap. IV agemus, hic alia exempla notamus:

6, 2 *pestilentiam grandines* qua potuit ratione signare; 10, 17 malum, cuius *explicare dissolvere* neque originem valeas neque causam; 10, 22 quia *sustinere perferre*.. nequis; 20, 10 cogitatio vos subit *considerare disquirere;* 21, 10 audet quisquam.. *ambigere dubitare;* 26, 14 lapidem.. *adulabar adfabar;* 28, 27 aliquem nobis *designare monstrare* ex omnibus; 39, 27 *barbarismis soloecismis* obsitae sunt; 42, 24 Sibylla *praesagia oracula* illa depromens; 44, 27 *admirantes plaudentes* ad caeli sustollitis sidera; 45, 4 Christum *compellare dilacerare*.. vultis; 46, 5 quinimmo.. *fastidium supercilium;* 53, 19 *peregrinamini navigatis* non domum; 57, 24 *inequitare inludere* tamquam stulta nobis.. dicentibus; 66, 25 ut possit *discriminare discernere;* 68, 20 obtunsior *ligno saxo;*

---

[1]) Eduardus Norden, de Minucii Felicis aetate et genere dicendi. 1897.

69, 3 efficitur *prudens doctus;* 72, 10 non *securus intrepidus* res obeat; 79, 19 *inlaqueare decipere* dolis; 92, 7 humana ingenia *labefactare dissolvere;* 102, 5 quod esse constiterit *pretiosius laetius;* 103, 16 a vobis *repudiata contempta;* 109, 6 in *infinitis perpetuis* saeculis; 123, 7 irarum flammas *suffunderent excitarent;* 125, 29 *vulnerari vexari* aliqua ex re possunt; 126, 1 *parturiunt pariunt;* 130, 23 nos *impios inreligiosos* vocetis; 134, 4 per vos *aboletur eraditur* Semeleius; 139, 17 pateat *haesitare labare:* 144, 21 *dormiebat stertebat:* 147, 18 deos *aetatibus saeculis* . . anteire; 149, 18 atquin *videte perspicite;* 150, 10 nonne *accidere fieri* . . potest; 177, 24 vi rapta *divastare disperdere:* 179, 18 *perbacchatus iactatus* proicit se; 190, 14 *inseruisse* genitali, *explicuisse* motus certos; 191, 14 erat nobis consilium *praeterire praetervehi*; 193, 16 genus est nullum *probri infamiae;* 202, 8 quempiam *praeteristis transistis;* 205, 14 *edissertate monstrate;* 209, 14 quod enim *factum gestum* est; 215, 27 res . . quas *libare profundere* non est rationis; 223, 22 si illam *publicare divendere* dicas meritorii corporis formam; 226, 12 ex *caccabulis ollulis;* 227, 27 cum *pateat luceat;* 229, 9 *vias rationes* accipite; 233, 10 adamasse ut feminam *mente anima;* 248, 20 *augustiores potentiores* mactatis pecudibus fiunt; 254, 20 certisque ab rationibus *exoriri duci:* 261, 8 ut ex *amygdalo ceraso* resina; 263, 6 *aperite monstrate:* 17 *succurrite properate:* 266, 25 *tranquillior lenior* Mater Magna efficitur; 273, 14 portendi ab *incendiis caedibus:* 282, 19 ut in magnis *populis nationibus.*

b) Tricola plurima Arnobius habet, inter quae synonyma a Reifferscheidio magnam partem indicis pg. 347 collecta sunt.

16, 30 sensibus *amplexari amare suspicere;* 17, 7 *torquetis dilaceratis exuritis:* 22, 4 si *arbores glaebae saxa* sensu animata . . quirent; 22, 20 *avos avias fratres;* 29, 9 equos *debilitare incitare tardare;* 29, 15 quod *proprium consentaneum dignum* deo fuerat vero; 31, 1 qui *docuit castigavit admonuit:* 34, 28 o mentes *incredulae difficiles durae;* 35, 4 ut *pustulam reduviam papulam* . . comprimeret; 37, 1 *gentes populi nationes;* 38, 11 detracta *verbis syllabis litteris*; 44, 15 qui *proscriptionibus exiliis caedibus* nudant; 22 qui

luxurias ac vitia vestra *secant urunt dilacerant;* 57, 3 apud *Galatas Parthos Phrygas*, in *Achaia Macedonia Epiro;* 58, 29 animas adseverat *volvi mergi exuri;* 60, 1 (animas) *divinas sapientes doctas;* 20 vultis *quaerere pervestigare rimari;* 62, 27 dum *labitur reformat immutat:* 63, 23 quotus *orator poëta grammaticus;* 66, 11 non omni *pecore ligno saxo* obtunsior; 68, 15 anima *immortalis perfecta divina;* 78, 24 quid *oratores grammaticos poëtas?* quid *scriptores dialecticos musicos?* quid *mimulos histriones cantores?* 80, 21 *robigine grandine siccitate* spem laboris amitterent; 81, 21 *gemmas lapillos margaritas* . . compararent; 82, 18 in feminis fierent *meretrices sambucistriae, psaltriae*; 84, 3 *naufragiis ruinis incendiorum conflagrationibus*; 95, 12 quid in mundo faciunt *bubones immussili buteones*; 102, 16 *militaria urbana communia* quae sint comitia scitis; 107, 4 *inauditas incognitas repentinas* agitare . . religiones. 111, 2 partesque alias operis *renudet deiciat adfligat*; 114, 4 *adstipulamur adquiescimus conivemus*; 123, 1 si *aselluli carnes porci* humanum quid saperent; 128, 18 *ventos pluvias fruges* cunctis subministrat; 129, 8 naturas his etiam *feras truculentas immanes*; 130, 18 quod (dii) *lenes placidi mites*; 137, 24 *servi milites magistri* non sunt; 140, 15 mala quibus *uror terreor vexor*; 147, 15 antiquiores dii esse *natura tempore vetustate*; 150, 8 vidistis *os habitum faciem*; 159, 8 *facies os dignitas*; 162, 2 ab Ornyto *caesam cruentatam vexatam*; 163, 26 prolem *extundere concinnare compingere*; 164, 16 ubi *vulnera caedes cruor*, ubi *amores desideria voluptates*; 169, 4 *rogationibus plebis scitis consultorum senatus* metu *intercedere prohibere sancire*; 16 sunt apud vos superi *inhonorati contemptibiles viles*; 170, 4 sedet cunctus *populus et senatus, consulatibus functi patres, diis proximi atque augustissimi reges*; 173, 4 historiae continent *graves seriae curiosae*; 18 *invaderent constringerent conligarent*; 184, 14 occupati sunt *negotiis cogitationibus curis*; 189, 5 quidnam istic habeant *negotii sollicitudinis curae*; 191, 20 vos esse *custodes vindices veneratores*; 192, 3 *spumat anhelat exaestuat*; 199, 6 fateor *haesitare circumspicere tergiversari*; 200, 6 postica ex parte nudatus *accedit subdit insidit*; 20 hoscine nobis deos *inpor-*

tatis insinuatis infligitis. 201, 3 iuvenes *sciant audiant discant*; 21 quemquam ex is *atheum inreligiosum sacrilegum*; 203, 22 *pudet dedecet indecorum est*; 206, 16 inexpeditissimum vobis est *traducere invertere derivare*; 212, 18 quae in *vinculis orbitatibus planctibus*, quae in *cruciatibus vulneribus sepulcris*; 214, 21 *sapientes iustos graves*; 217, 15 ut *astra sol luna*; 221, 6 quid fieri potis est *iniuriosius contumeliosius durius*; 225, 22 ossa *informia disparata confusa*; 226, 8 *ossa lapides aera* sunt; 16 *servis furfuraculis asciis secta dolata effossa*; 235, 16 *iustitia pax fides* mortalium pectora possideret; 241, 1 (deos) *pios beneficos mites*; 245, 29 ruinis *mergi obrui confici*; 249, 22 *vervecem arietem taurum* dei sub ore conectere; 250, 7 quid esse his potest *coinquinatius fetidius spurcius*; 258, 23 *inmoramur insistimus inhaeremus*; 263, 3 *insaniae dementiae caecitati*; 267, 20 si ex *comoediis Atellanis mimis* ducunt laetissimas voluptates, quid moramini . . quin et ipsos dicatis deos *ludere lascivire saltare*: 268, 3 *currat sedeat ambulet*; 269, 7 habentque huius nominis *auctoritatem potentiam dignitatem*: 276, 8 si enim *rusticus senior inexpeditus*: 282, 20 mixtum sit humanum genus *naturis voluntatibus moribus*; 284, 26 *pugnis caedibus mortalitatibus*.

c) Tetracola quae ab Appuleio praesertim in declamationibus adhibentur (cfr. Norden l. c. p. 59) nonnulla apud Arnobium inveniuntur.

9, 5 certis *signis partibus temporibus lineis*: 18, 19 nos *hebetes stolidi fatui obtunsi*: 24, 22 quae *fecerint egerint pertulerint actitarint*: 37, 5 adeo fuisse *vanos mendaces stolidos brutos*: 49, 3 religio *verior officiosior potentior iustior*; 79, 7 *dissimulare mentiri circumscribere fallere*: 111, 4 *flammis exiliis cruciatibus beluis*: 124, 21 quis enim deum dixerit *fortem constantem frugi sapientem*: 243, 2 *passerculos pupulos eculeos panes* accipiunt; 284, 5 *usu tempore consilio ratione*.

d) Quina vel plura vocabula.

Saepe ita strui possunt, ut dicolis addantur tricola, aut terna quaternaque aptius nectantur.

9, 20 humani generis subversionem cladem / ruinas interitus funera; 20, 30 (tu) infinitus ingenitus immortalis / perpetuus solus; 66, 15 terra maria sidera / nubes nebula pluviae / tonitrua nix grando; 66, 17 si dederis uvam mustaceum caepe / carduum cucumerem ficum, 66, 27 mitra strophium fascia / pulvinus mucinnium laena / calantica mantele mastruca / soccus solea calceus. 67, 2 quid si adicias quaerere rota quidsit aut tribula / vannus dolium cupa / trapetum vomis aut cribrum / mola buris aut sarculum? quid arquata si sellula / acus strigilis / polubrum siliquastrum trulla / lancicula candelabrum pattioca / scopae scyphus saccus? quid si cithara tibia / argentum aes aurum / codex radius liber? 78, 27 quid cursores, quid pugiles quadrigarios desultores / grallatores funiambulos praestigiatores? quid picarios salinatores / bolonas unguentarios / aurifices aucupes vannorum scipiarumque vitores? quid fullones lanarios phrygiones / cocos panchristarios muliones / lenones lanios meretrices? 83, 6 maleficia cuncta confierent, insidiae fraudes doli / avaritia rapinae vis / scelus audacia obscenitas / turpitudo flagitium; 86, 7 alios videmus inmites facinerosos audaces temerarios / praecipites caecos fictos dissimulatores / mendaces superbos adrogantes avaros / cupidos libidinosos inconstantes invalidos. 89, 1 unde sunt elephanti tauri cervi / muli asini? unde leones equi canes / lupi pantherae. 95, 15 quid impudentes muscae araneae sorices / mures sanguisugae tippulae? 19 quid sit triticum dicite, far hordeum / milium cicer faba / lenticula melo cuminum / porrina ulpicum caepe? 110, 8 morborum et valetudinum genera / naufragia ruinas incendia / pestilentias sterilitatem / amissionem pignorum et proscriptionem bonorum / discordias simultates[1]) bella / captivitates urbium et sublatis ingenuitatibus servitutes? 121, 3 gurguliones ventriculos lienes / pulmones vesiculas iecora; 18 quosdam capitones cilunculos / frontones labeones simos / 25 senes iuvenes pueros / aquilos caesios ravos / seminudos intectos; 125, 9 alios lanarios nautas / citharistas auloedos / venatores pastores; 128, 19 bonis malis / iniustis iustis / ingenuis servis / pauperibus divitibus; 135, 5 luna sol tellus / aether astra; 149, 2 non praesit cucurbitis rapis / non cunelae nasturtio / non viciis betaceis caulibus? 164, 14 ubi enim nuptiae matrimonia / puerperia

[1]) Sallust. Catil. 9 iurgia *discordias simultates* exercebant.

nutrices / artificia debilitates; 171, 12 magistratibus exercitibus regibus / familiaribus inimicis; 236, 18 falciculae claves / caliandri fomites / talaria baculi / tympaniola tibiae psalteria; 244, 5 habent iecora pulmones corda / intestina ventriculos; 250, 15 cur non vulturios aquilas / ciconias inmussilos buteones / corvos accipitres noctuas sq.

§ 5. De chiasmo qui dicitur modo dicendi.

Quae enuntiatorum partes sibi respondent, eae rarius ab Arnobio aequaliter collocantur, ut 38, 11, ut et prudentium tardarent fidem et gestorum corrumperent auctoritatem; 42, 12 isto voluit et illo genere noluit; 183, 28 ut mero madidaretur multo et virilibus spoliaretur abscisis; 194, 13 (Jovem) molli fimo perlitum atque intestina proluvie delibutum; 220, 11 quae multa arte conponitis et religiosa observatione curatis etc.

At multo saepius ea figura quam χιασμόν graeci appellarunt utitur, quam dicendi rationem Minucium Felicem praeter modum amavisse Norden l. c. p. 60 demonstrat. Atque permulta exempla infra (Cap. IV et V) notabimus, ubi de sermonis variatione et de verborum collocatione disseremus. Hic habes alia testimonia.

14, 26 vobis secundas tribuant valetudines, adversas nobis ac pessimas; 39, 6 testibus enim haec, illa opinionibus adseruntur; 40, 19 nullus sermo natura est integer, vitiosus similiter nullus; 107, 6 nonne solus ingenitus, immortalis et perpetuus solus est? 111, 1 materiem eius comminuat atque urat tectum; 131, 5 deos ipsos quos opinamini tollitis et reponitis alios quos manifestum est non esse; 138, 15 quod una oriantur et occidant una; 140, 20 neque his sua et aliena illis imposuero cognomina; 141, 8 dum alios tollitis et reponitis alios; 147, 2 Patellana numen est et Patella, ex quibus una est patefactis, patefaciendis rebus altera praestituta; 155, 23 si testem ipsum citetis Jovem aut Pythium constituatis auctorem; 171, 3 et cotidie referatis et ediscatis cotidie; 172, 3 quod si datur, datur et illud; 178, 20 hunc unice mater deum . . diligebat, diligebat et Agdestis; 179, 23 fluore de sanguinis viola flos nascitur et redimitur ex hac arbos; 183, 23 mugiens fetus somnis suis officeret aut interpellaret quietem; 189, 21 (species) vel quas

produnt antiquitatis historiae vel mysteria illa continent; 192, 8 fundit preces et subplicat: obstructae sunt dolentis aures. adlegatur deorum universus ordo: nullius auctoritas tanta est ut audiatur; 193, 18 matrimonii prodidit ius Ledae: Iuppiter esse dicitur auctor culpae; 203, 15 aliud quidem dicitur, sed intellegitur aliud; 210, 17 studium docere cupientis et nolentis ostendere malignitatem: 228, 12 parte ligneos deos ex una, at ex altera saxeos; 247, 18 bonas ut res conferant dimoveantque contrarias; 256, 20 petat illa te morsu, hic contactus aculeum figat: 262, 26 qui caret robore corporis atque omni sensu et contagione privatus est.

Aliis in locis ista figura modo adhibetur ab Arnobio, modo non adhibetur:

31, 6 cuius nomen auditum fugat noxios spiritus, inponit silentium vatibus, haruspices inconsultos reddit; 81, 21 margaritas castitatis dispendio conpararent, conspiciendis quaererent corporibus fucos, innecterent catenis colla, lannas pertunderent aurium, imminuerent frontes limbis, fuligine oculos obumbrarent; 84, 4 pauperies alias, alias ut mendicitas premeret, ut ferarum paterentur aliae laniatus, muscularum aliae ut interirent veneno, claudae ut incederent aliae, ut aliae lumen amitterent; 89, 13 si et haec non sunt et est aliqua res alia, alia causa, alia ratio, potestas alia denique inauditi nobis atque incogniti nominis; 94, 17 cur alia ex his parva, ampliora et maiora sint alia, obtunsi haec luminis, acutioris illa et fulgidae claritatis; 163, 24 vestris cautum est litteris . . arsisse in Endymionem Lunam, Nereidem in Adonem, matrem eius Cererem in Iasionem; 171, 7 has potius litteras vos exurere debuistis olim, libros istos demoliri, dissolvere theatra haec potius . . 213, 7 Martem pro pugna appellatis, pro aquis Neptunum, Liberum patrem pro vino, Cererem pro pane. Minervam pro stamine, pro obscenis libidinibus Venerem; 230, 21 in sedentibus signis deum sedere dicendum est et in stantibus stare, in procurrentibus currere, iacularier in iacientibus tela; 236, 7 deum Mater cum tympano, cum tibiis et cum psalteriis Musae, Mercurius pinnatus Argiphontes, Aesculapius baculo, Ceres mammis cum grandibus; 252, 3 sint unius essentiae vel unius debeant esse naturae, generis et qualitatis unius etc.

Cap. IV.

De sermonis variatione.

Ut similitudinem vitet, Arnobius summa arte diversissimis modis sermonem suum mutat. Diversas locutiones pro una eademque re adhibet, varie verba inter se respondentia struit, insolentius synonymis utitur: hoc autem huius scriptoris maxime proprium est, ut vix semel uno verbo alicuius rei sensum notet, sed duobus plerumque, etiam pluribus. Sed antequam ad singula accedam, pauca mihi liceat praemittere de vocabulis graecis et de figura quae dicitur etymologica. Illa ab elegantibus scriptoribus repudiata esse constat, sic apud Arnobium «*typhi*» nomen[1]) inveni, quo ubi primum utitur, habet *mentis elatio et typhus qui appellatur a Graecis*, 49, 19. Altera vox graeca quae exstat, *allegoria* sive *allegoricus* (203, 4; 204, 7 etc.), a Cicerone (ex. gr. Orator 94 genus hoc Graeci appelant *ἀλληγορίαν*) sic usurpatur, sed a Quintiliano civitate donata vix peregrina est habenda.

Figurae etymologicae quam dicunt haec exstant exempla: 16, 20 *disceptationis* huius *disceptare* momenta; 68, 5 *inquisitam* expediat *quaestionem*; 109, 29 *persecutiones* patitur *persequi*. Incertum est 117, 20 «*lusum ludere* voluisse naturam», quae coniectura Hauptii a Reifferscheidio recepta est pro codicis verbis «suam l. v. n.». Cfr. Hor. Carm. 3, 29, 50 ludum insolentem ludere.

§ 1. Diversae locutiones pro una eademque re adhibentur.

Vix alium scriptorem reperias, qui ut Arnobius arte excellat eandem rem in eadem orationis parte modis variis multiplicibusque exprimendi.[2])

Pro *nominandi* voce invenias: 6, 2 significatum dare (bellis), 3 signare aut inter suas voces quibus oratio explica-

[1]) 49, 19; 57, 16; 60, 18; 72, 2; 99, 9.

[2]) Haec variatio etiam apud poëtas invenitur, cfr. Verg. Aen. 7, 109 sq. *adorea liba — Cereale solum — exigua Ceres — orbis crusti — patulae quadrae* de eodem cibo adhibentur.

batur adsumere, 5 eis rebus formare verba, 10 nominibus censere (haec mala).

Simplicem interrogationem, «*nos fuimus in causa?*» 7, 15 ita variat: invidia nostra haec fuit 18; religionis nostrae attributum est criminibus 20; nostri nominis effectum est iniuria 22; nos fecimus atque excitavimus causas 24, nos videlicet numina praecipitavimus in furorem 26; quemadmodum possimus miseriarum esse praesentium causae, 8, 1.

Verba «*ego sum causa*» ita exprimit: ego ut male sit facio 13, 5; ut inopia magna sit meum nomen in causa est, 6; ut in bellis accipiatur vulnus ego dicor adferre fortunam, 8.

De *moriendo* sic loquitur: 26, 26 interiit, 28 vinculis corporis . . digressus est; 27, 1 decessit; 4 spiritum . . effudit; 7 expulsus e vita est; in alia operis parte 137, 22 sunt vitae mortalitate defuncti; 195, 26 ex viventium numero . . decedit.

De *sepeliendo:* 218, 18 esse mandatum terrae; 22 humationis habuisse . . officia; 219, 1 habuisse suprema . . funeris; 4 esse conditum.

Sanandi vocem sic variat: 32, 1 morbos valetudinesque curasse; 3 restituere sanitati; 5 morbos iusserit ab hominibus evolare . . . emori valetudinum causam et debilium corpora ad suas remeare naturas; 32, 31 sanitatem incolumitatemque praestare; — de *caecis sanandis* sic loquitur: 32, 9 exturbasse ab oculis caecitates; 34, 21 visum luminibus caecis dare, 23 luce oculos implere iam perdita; 35, 3 caecis restituere lucem; 25 sine luminibus procreatis oculorum redintegrare naturas; — de *mutis*: 32, 10 orationem dedisse mutis; 35, 24 ora coarticulare mutorum; — de *surdis:* 32, 9 aures aperuisse surdorum; 35, 25 surdorum auriculas returare; — de *debilibus:* 32, 11 ambulatum dedisse contractis; 34, 21 incessum ille claudis dedit; 22 contractionem relaxavere nervorum.

De *generum discrimine* Arnobius in enuntiatis quae deinceps sequuntur sic dicit 252, 25 differentiam generum nullam in diis esse neque ullis sexibus eos esse discretos; 29 discrimina sexuum diis attributa; 253, 1 distinctum esse deorum genus, mares ac feminas hos esse.

Pro verbis 162, 14 «*amoribus incalescere in feminas*» (maiore vi: 159, 4 in femineos appetitus inflammati pectoris incaluisse

fervore) utitur: 21 feminas *inconsulti pectoris adpetere fervoribus.* — Tum quaesita variatione verborum sequitur 163, 7 sq. Hylam nescio quis *diligit*, Hyacintho *est* alius *occupatus,* ille Pelopis desideriis flagrat, hic in Chrysippum *suspirat ardentius* etc.; 162, 18 rex maris dicitur feminas quasdam *castimoniae virginitate privasse*; de Jove quidem legimus 191, 26 *castitate imminueret* genetricem; 193, 21 *expugnator pudicitiae* esse . . iactatur.

In eodem capite legimus 193, 21 sq. *matrimonii prodidit ius* Leda . . *virginitatem* Danae *custodire nequivit* . . *ad mulieris nomen properavit* Europa . . Alcmena . . Electra Latona . . cumque illis Catamitus puer *pudoris spoliatus est honestate.*

De diis qui nisi certis cibis non delectantur, in eodem enuntiato ita dicit: ille caprina *abstinet se* carne, porcinum alius *execratur attactum*, huic ovilla *fetulenta sunt* viscera ac . . hic bubulam duritiem *vitat* 252, 17 sqq.

De iisdem qui sacrificiis placantur, sic mutat verba sua: tranquilli placidi efficiuntur et mites 266, 20, ponit animos Iuppiter 22, tranquillior lenior Mater Magna efficitur 25, obliterabit offensam Venus 27, indignatio relanguescit Alcidae, 28.

Ubi de *provinciis* quae singulis diis dantur loquitur, hunc in modum verba variantur: 146, 2 sqq. Lateranus . . *deus est* focorum . . 8 *praesidatum focorum* deus iste *sortitus est* . . 19 militaris Venus castrensibus flagitiis *praesidet* et puerorum stupris . . 22 Pertunda . . *praesto est,* 29 putationibus arborum Puta . . *praesto est,* rebus petendis Peta, *deus* nemorum Nemestrinus *est,* Patellana numen est et Patella, ex quibus una est patefactis, patefaciendis rebus altera *praestituta* . . 147, 4 sq. quae *praeest* frugibus terendis, Noduterensis . . *in tutela sunt* Orbonae orbati liberis parentes . . 8 Mellonia dea est *pollens potens*que in apibus, mellis curans custodiens dulcedinem.

De *conviciis* quibus adversarii suos deos consectantur, haec habes: 193, 16 genus est nullum probri infamiae, adulterium nullum, quod in eius (Jovis) non caput velut in aliquam congeratis vilem luteamque personam; 25 neque ullum turpitudinis genus est, cum quo eius non nomen consociatis libidinibus conseratis; 262, 9 rursus interrogat: aut genus ullum est probri tam communi existimatione damnabile quod

in eos conferre metueritis vel nominis saltem auctoritate tardati?

Cum aliquid *silentio praeteriturus* est, his locutionibus utitur: 190, 2 transeamus, 8 taceamus, 16 praetermittemus, 21 praeteribimus, 24 oblivioni etiam . . donentur; 191, 3 sed et illa desistimus praedicare; 14 erat nobis consilium praeterire, praetervehi . . 17 transire; 193, 8 non esse arbitror necessarium sermone quoque hic multo membra ire per singula. — In alia operis parte sic variat: 129, 10 non commemorabimus, 12 taciturnitatis silentio praeteribimus, 133, 21 praetermittimus hoc loco satietatis causa.

Interrogatio «*nunc a nobis traditur?*» ab hoc scriptore sic variatur 160, 13 sqq. quidnam de illis aliquando . . conscriptionibus edidimus? 15 numquid a nobis dicitur? 25 numquid dicimus . . nos? 161, 8 numquid . . publicavimus nos? numquid ex nobis . . est auctor . . 12 quis . . prodidit? non vos? . . non . . auctor vester? . . 21 numquid aliquando a nobis conscriptum est? 161, 26 nonne ille vester est vates? 162, 6 nobis editum traditur? 7 nos dicimus? 8 noster . . ille est auctor? 11 Plutarchus nostrarum esse partium comprobatur? 16 numquid enim a nobis arguitur? 23 numquid . . nostris carminibus indicatur? 163, 2 numquid a nobis aliquando conscriptus est?

p. 188, 4 sq. conferas: turpitudines illorum tantas neque nos *prodiderimus* neque *in literas contulerimus* ullas neque *in publicam testificationem* sacrorum celebritatibus *inseruerimus.*

Ut indicet aliquid a scriptore quodam commemorari, ita verba mutat 218, 17: Antiochus . . *memorat,* 19 *scribitur atque indicatur* Acrisius, 22 *perhibentur,* 25 *indicatur;* 219, 1 *dicit* Leandrius; 3 *profitetur ac memorat* Zeno; 5 *indicatur,* 6 *edidit,* 8 *litterarum auctoritate declarat.*

Similiter p. 203, 5: qui *dicit* . . non *significat,* sed . . *nominat* . et qui rursus *perhibet* . . *loquitur,* sed . . *ponit* . sic et ille qui . . *dicit,* non . . *dicit,* sed . . *significat.*

De *exquirendis historiis* habes 5, 25 replicatis prioribus saeculis; 6, 21 annalium scripta percurrite, 25 historias ite per

vestras; 24, 18 replicate antiquissimas litteras et eorum scripta percurrite.

De *religionis Christianae* initiis Arnobius sic deinceps loquitur: 3, 5 postquam esse in mundo Christiania gens coepit; 4, 4 postquam esse nomen in terris Christianae religionis occepit, 5, 18 postquam religio Christiana intulit se mundo et veritatis absconditae sacramenta patefecit, 8, 25 post auditum Christum in mundo; 11, 26 ex quo coepimus esse Christiani et terrarum in orbe censeri.

De ipso *Christo* haec habet: 98, 18 sq. in hoc missus a Deo est, ut infelices animas ab interitionis exitio liberaret; 99, 10 generis Christus humani conservator, 15 patet omnibus fons vitae, 25 accipimus ab eo beneficium salutis; 100, 22 Christianus ni fuero, spem salutis habere non potero, 23 partes enim salutis dandae . . solus ab deo patre iniunctas habet et traditas, 101, 3 unius pontificium Christi est dare animis salutem et spiritum perpetuitatis adponere; 9 sq. ab nullo animas posse vim vitae atque incolumitatis accipere nisi ab eo quem rex summus huic muneri officioque praefecit, 18 sq. ad immortalitatis accedere nullis poteris contentionibus praemium, nisi quod ipsam immortalitatem facit Christo adtribuente perceperis et veram fueris admissus ad vitam.

Ubi Christum cum discipulis eius comparat, habes 34, 7 sq.: *verbo ille compescuit verminantium membrorum cruces* / *et illi verbo compescuerunt furialium vermina passionum.*»
Sed tum mirandum in modum diversissimis vocibus comparationem persequitur: 9 sqq. *imperio* ille uno *exturbavit* a corporibus daemonas et exanimatis suos *restituit* sensus / sub eorum tortantes et illi se casibus iussione non alia sanitati et constantiae *reddiderunt*. ille notas albicantium vitiliginum manu admota detersit / *liniamenta* et hi corporum haud *dissimili* conciliavere *contactu* . . . incessum ille claudis dedit, visum luminibus caecis, interemptos revocavit ad vitam / nec minus et hi quoque contractionem relaxavere nervorum, luce oculos implevere iam perdita et ab tumulis remeare defunctos exequiarum conversione iusserunt.

In libri secundi cap. XVI similiter homo et animalia ratione carentia conferuntur, exordio huius comparationis etiam

eadem fere verba habes, sed postea sententiae maxime variantur: 60, 27 *ex ossibus* illis *fundata sunt corpora* et *nervorum conligatione devincta* / et nobis comparili ratione *ex ossibus fundata sunt corpora* et *nervorum conligatione devincta. auras accipiunt* naribus et per anhelitum reciprocatas reddunt / et nos *spiritum* consimiliter *ducimus* et respiramus commeatibus crebris. *femininis generibus masculinis*que distincta sunt / in *totidem* et nos *sexus* nostro sumus ab auctore formati. *edunt per uteros fetus* et *corporalibus conciliis* procreant / et nos *corporum coniugationibus* nascimur et *ex alvis fundimur atque emittimur matrum. cibo sustentantur et potu* et superfluas foeditates inferioribus *egerunt abiciunt*que posticis / et nos *cibo sustentamur et potu* et quod natura iam respuit per eosdem *effundimus* tramites etc.

Dii hominesque conferuntur 268, 15 sqq. quia *gaudere laeta re maestosque se fieri tristioribus* conspiciunt causis, arbitrantur et numina *ex rebus hilarioribus gaudere* et ex minus laetis *animorum contractione conduci: adfici* se ludis, putant et caelitum mentes ludorum delectatione *mulceri:* et quia illis se *volup* est *lavacrorum* refovere caldoribus, et superis ducunt *lavationum* esse munditias *gratas* . . *vindemiamus* nos homines, et deos rentur et credunt suas *ducere atque agitare vindemias:* dies nobis *natalicii* sunt, et potentias caelites dies autumant habere *natales.*

Ut finem huius capitis faciam, conferas etiam hanc verborum seriem: 145, 13 si orientem solem respexero, 15 in quem (septentrionem) si ora traduxero, 16 si iecero plagam in occiduam lumina, 18 in quam si me partem (meridiem) necessaria temporis circumegerit ratio.

§ 2. De varia structura verborum quae aut iungenda sunt aut inter se respondent.

a) Numerus singularis pro plurali[1]).

7, 21 ille immanis Xerxes *mare* terris inmitteret et gressibus *maria* transiret; 95, 16 sq. quid *sentes,* quid *avenae,* quid *lolium,* quid . . herbarum *semina;* 108, 14 serius *hiemes,* serius *aetas* atque *autumnitas* fiant; 110, 8 sq. *naufragia*

[1]) Jam apud Livium et Tacitum, cfr. v. gr. Germ. 37 non Samnis, non Poeni etc.

ruinas incendia pestilentias sterilitatem amissionem pignorum et *proscriptionem* bonorum, *discordias simultates bella;* 146, 18 (fictiones) quas *rebus turpibus* et *infami* praeficias *actioni*; 149, 2 (deus) praesit *cucurbitis, rapis, non cunelae, nasturtio,* non *viciis betaceis caulibus;* 192, 20 oblitus paulo ante quid *malorum* et *sceleris* esset adgressus; 254, 21 *hominum* mihi scita pronuntias et *caeci animalis* inventa. Cfr. 178, 2; 250, 23 sqq.

b) Genetivus qualitatis et ablativus inter se permutantur.

71, 27 cum sit inops, *paupere lare* et *tugurii pauperis;* 138, 16 sex mares et totidem feminas, *nominibus ignotis* et *miserationis parcissimae:* 151, 13 *iudicii acris* viri atque *ingenio perspicaci.*

c) Genetivus pro adiectivo nomine ponitur.

7, 17 *Magicis* et *Chaldaeorum* ex reconditis disciplinis (cfr. Magorum disciplinae 257, 9); 7, 9 *Germanorum* et *Scythicas* inruptiones; 36, 12 nihil *humanum, praestigiosum* aut *subdolum*, nihil *fraudis* delituit in Christo; 62, 2 *hiemalia* frigora et *aestatis* flagrantias; 125, 13 *obstetriciis* ille informatus artibus, *medicorum* alius institutus est disciplinis; 146, 19 Venus *castrensibus* flagitiis praesidet et *puerorum* stupris; 222, 18 sigilliolis *hominum* et formis supplicatis *humanis;* 276, 15 *aliena* delicta *aliorum* crucibus vindicare. Cfr. etiam 156, 6; 181, 13; 199, 19; 227, 8; 252, 19; 270, 12; 277, 29.

d) Genetivus vel ablativus adiectivo vel participio aequatur.

18, 16 illi *cati sapientes prudentissimi* vobis videntur nec *reprehensionis ullius*; 53, 23 *casta* (coniugalia consortia) et *officiosi foederis* in maritos; 56, 24 quamvis esset *imprudens* et *facilitatis stolidae*; 59, 8 vir *lenis* et *benivolae voluntatis:* 64, 16 non *algidus* in frigore, non *fervoris nimii* in calore, sed ita *temperatus:* 71, 24 res *parvas* atque *exigui nominis*; 97, 2 ambigere nisi *amens* possit et *desperationis insanae:* 105, 17 *priscum* est et *nimiae vetustatis;* 233, 25 *mites* et *ingeniis tranquillioribus* deae sunt; 253, 21 *atrae* his hostiae *nigerrimique* admoveantur *odoris:* 30 quae sunt *nigra furvi*que existimatis *coloris.* Cfr. 142, 9; 183, 2; 192, 19; 224, 5; 239, 28 etc.

Notanda sunt haec exempla: 109, 15 fuisse olim homines *semideos, heroas, cum immanibus corporibus atque vastis;* 126, 6 *trilices* tunicas aut *de serico* componat; 146, 1 quas esse *faustas* et *prosperis* semper *cum ominibus* ediderunt; 223, 20 Liber *membris cum mollibus* et languoris feminei *dissolutissimus* laxitate.

e) Genetivus aut Ablativus (etiam cum praepositione coniunctus) aequatur adverbio.

66, 1 sit (res) *leviter* credita et *frustrabili expectatione* praesumpta; 187, 23 *mendaciter* et falsitatis alicuius *fictione* composita (historia); 206, 13 alias (partes) vero *dupliciter* et *ambifaria obtentione* velatas. Cfr. 90, 7; 206, 26.

39, 28 utrumne quid *glabre* an *hirsuta cum asperitate* promatur; 135, 15 explosis omnibus ceteris, omnino *inaniter, vacue* et *sine ulla substantia* constitutis; 238, 17 qui si sunt, ut dicitis, *uspiam verique;* 271, 28 *inaniter* et *cum tota imperitia* reprehendi. Cfr. etiam 143, 1; 231, 1.

f) Genetivus aut Ablativus cum participio coniungitur.

27, 3 non spiritum *sponte* sed crudelitate *adpetitus* effudit; 27, 11 non *publica lege* fatorum sed mortis asperrimo genere *lacerati excruciatique* perierunt; 46, 1 potionem incognitam dubitaretis haurire *spe salutis proposita* atque amore incolumitatis *incensi;* 50, 21 nulla iam natio est tam *barbari moris* et mansuetudinem *nesciens;* 198, 24 *feminei sexus* deam et consimili *formatam* membro.

g) Nomen substantivum adiectivo vel participio aequatur.

4, 1 qui se numinum profitentur esse *cultores* atque inveteratis religionibus *deditos;* 90, 15 mali esse *conscium generatoremque* nullius; 100, 8 deus est *potens misericors conservator;* 144, 3 haec illi est pars *hostis* et illa huic *hostilis;* 181, 14 Varro ille Romanus multiformibus *eminens* disciplinis et in vetustatis indagatione *rimator;* 194, 26 existimari se velle *pios, sanctos* religionumque *custodes;* 220, 5 civitas *maxima* et numinum cunctorum *cultrix;* 242, 16 se vellent de *audacibus* et *transgressoribus* vindicare; 283, 5 (Magna Mater) *salutaris* populo et magnarum *causa* laetitiarum fuit.

Adnotatio. Hic usus substantiva pro adiectivis ponendi a poëtis ortus (cfr. Catulli charta *anus* 68, 46; fama *anus*

77, 10); postea in pedestrem sermonem receptus est. Atque imprimis substantiva quae dicuntur verbalia sic usurpata sunt, quod Arnobiani libri probant. Conferas praeter exempla supra laudata: cunctarum pater *fundator* et *conditor* rerum 49, 5 (Vergilius Aen. 7, 678 *fundatoris* vocem formavit); *conservator* Christus 99, 4 et 11; *sospitator* . . Christus 108, 12; quintus Argi est *interemptor*, fugitivus atque exul et *proditor* apud Aegyptum litterarum 152, 9; homines minime brutos et vetustatis remotissimae *vestigatores* 167, 7; *regnatoris* populi 170, 7 et 219, 14 (Verg. Aen. 4, 269 etc.); *censor* animus 267, 5; ludorum *exhibitor* magistratus 275, 13; sanctus deus, salutis *dator*, valetudinum pessimarum *propulsator*, *prohibitor* et *extinctor* 279, 1; libido tam *carnifex* 46, 14; *parens* natura 62, 8 *opifices* manus 62, 13 (Ovid. Met. 15, 218 *artifices* manus) etc.

h) Adiectivum et participium coniunguntur.

5, 23 in rebus *perspicuis* et nullam *desiderantibus* defensionem; 30, 21 ab *diversis* populis et dissona oratione *loquentibus*; 38, 6 gentibus in *ignotis* et usum *nescientibus* litterarum; 40, 16 cum tibi sit ratio cum male se *habentibus* atque *aegris*; 72, 20 quis erit tam *brutus* et rerum consequentias *nesciens*; 205, 10 (fabulas) *ambifarias* ac *bilingues* et versipellibus esse *scriptas* modis. Sic plurimis locis ut 18, 6; 25, 8; 92, 8; 131, 2; 142, 11 etc.

i) Personae et res iunguntur.

57, 1 quae in India gesta sunt, apud Seras Persas et Medos, in Arabia Aegypto in Asia Syria, apud Galatas Parthos Phrygas, in Achaia Macedonia Epiro[1]; 57, 23 qui stupetis doctorum et philosophiae scita; 79, 3 quid professorum et artium (genera conferunt); 84, 13 insultarent virginibus et matrimoniis alienis; 164, 14 ubi enim nuptiae matrimonia puerperia nutrices artificia debilitates; 169, 23 illa mimorum atque exoleti generis multitudo; 180, 14 caerimoniis annuis et sacerdotiorum antistibus honorasse.

k) Adiectivum participiumve aut genetivus enuntiato relativo aequatur.

15, 17 dii veri et qui habere, qui ferre nominis huius auctoritatem condigni sunt; 130, 24 fidem facietis esse amorum

[1]) Cfr. Taciti Ann. 2, 47. Temnios . . Myrinam etc.

deos, esse bellorum, esse qui discordias conserant; 203, 1 rationes miras atque altas nec quas facile quivis possit . . pernoscere; 238, 9 sententia reperiri nulla potest integrior verior et quam quivis possit . . occupare; 246, 10 fortasse aliquid dicant magnum nec quod auribus debeat frustratoriis . . sumi; 194, 14 vellem . . videre torquentem illum sidera et qui pallidas nationes fragore perterret et prosternit.

l) Nomen substantivum cum adiectivo neutrius generis coniungitur.

52, 24 ut enim divina praeteream et naturali obscuritate res mersas; 72, 2 viros recti atque integritatis auctores; 182, 7 respectus pietatis et honesti; cf. 28, 6.

m) Subiecta sententiarum permutantur. — Saepe genus activum cum passivo.

12, 13 mala omnia di ingerunt et interitus comparatur ab superis frugibus; 41, 12 tam peccat qui genera masculina femininis pronuntiat legibus quam ab eo peccatur qui articulos . . anteponit; 173, 15 cum procurandi fulminis scientiam non haberet essetque illi cupido noscendi; 229, 8 ab animantibus mutis vias, rationes accipite doceantque vos eadem; 242, 11 numquid aliquas leges sanxere aliquando mortalibus (dii) constitutumque est ab his unquam quid conveniret. Sic 16, 4; 29, 30; 140, 7 sqq.[1])

n) Tempora aut modi verborum mutantur.

23, 4 sq. non, inquit, idcirco dii vobis infesti sunt, quod omnipotentem *colatis* deum, sed quod hominem natum . . deum fuisse *contenditis* et superesse adhuc *creditis* et *adoratis*; 58, 3 audetis ridere nos, quod patrem rerum ac dominum *veneramur* et *colimus* quodque illi *dedamus* et *permittamus* spes nostras; 156, 23 adrogantis est dicere, id quod tibi *placeat* esse verum, quod vere animum *laedit* id libidinis arguere; 263, 1 nisi enim ratio cur fiat *ostenditur* nec *habebit* expositam sui causam, non iam istud errori obiciendum est; cfr. 50, 18 sqq. 95, 5; 263, 13 sq.[2])

[1]) Cfr. Tac. Ann. 3, 12 et adnotationem Draegeri.

[2]) Hac licentia omnes fere scriptores usi sunt, cfr. Uhl, quaestiones criticae in Senecae dialogos pg. 31.

o) Gradus positivus cum comparativo coniungitur.

21, 21 *plebeia* atque *humiliora:* 64, 2 plurimae acuminis *obtunsioris* et *bardi;* 94, 18 *acutioris* illa et *fulgidae* claritatis; 149, 5 locis posita in *obscuris* et *verecundioribus;* 180, 22 hominem dixeris *pudibundis* moribus et disciplinis *horridioribus.*

276, 5 nonne fuerat *pronius* et deo *conveniens;* 280, 2 erat enim hoc *potius* multoque *praestantius* augustaeque *conveniens* dignitati.

Adn. Apparet Arnobium vitare vocis «*conveniens*» gradum comparativum, quanquam apud scriptores post Augustum degentes non est rarus.

p) Gradus positivus cum superlativo iungitur.

6, 8 *antiqua* enim et *vetustissima* saecula; 14, 27 *adversas* nobis ac *pessimas;* 15, 21 *sapientem* illam credere *beatissimamque* naturam; 43, 25 ab *inmanibus* . . *durissimisque* latronibus. Alia exempla collegit Reifferscheidius in editionis suae indice (p. 307).

Etsi leviora sunt, addi fortasse possunt: 18, 16 illi *cati sapientes prudentissimi:* 22, 30 *inimicos* atque *infestissimos* et 185, 19 *inimicam* semper atque *infestissimam* masculino; 78, 22 rei militaris *experientissimos* duces, capiendarum urbium *peritos,* in equestribus proeliis . . *immobiles* atque *invictissimos* milites; 255, 21 *eloquentibus* debet *disertissimisque* mactari; 270, 30 opiniones diis *dignas* et eorum *convenientissimas* nomini etc.

q) Comparativus cum superlativo iungitur.

12, 27 *ditiores* et *locupletissimos:* 18, 25 in civitatibus *maximis* atque in *potentioribus* populis; 101, 25 *prioribus* illis atque *antiquissimis* saeculis; 193, 7 eximitur rursus ab *inferioribus* partibus atque *imis.*

r) Praepositiones permutantur aut non iterantur.

184, 24 lentene fluore *de* sanguinis et *ex* genitalibus amputatis; 185, 3 sqq. quia *de* rubro exorta sunt haec sanguine, idcirco illis color est . . subluteus . . vinosa, quod *ex* sanguine . . genus ducant; 185, 11 Nana filium concepit *ex* pomo . . mater fuerat facta *de* pomo; 250, 3 putor qui *ex* coriis tollitur . . qui *ex* ossibus, qui *ex* saetis, *ex* agnorum lanitiis gallinarumque *de* plumis; 251, 3 non *ex* materiis aliis aliisque *de* rebus [1]).

[1]) Saepius hanc variationem in Taciti historiis et annalibus habes.

Raro etiam praepositio omittitur: 273, 14 res . . portend ab incendiis, caedibus, ab legum interitu et ab iuris occasu; 275, 25 consulem ut ad ipsum veniret, sacerdotum ad aliquem publicorum, pontificem maximum aut ad flaminem.

s) Coniunctiones copulativae permutantur aut iterantur.

In ponendis coniunctionibus Arnobius summa utitur varietate. Nam aut in eadem enuntiatione verba asyndetice collocat [1]) aut coniunctionibus, quae etiam inter se commutantur, coniungit. Conferas 63, 22 quotusquisque est musicus dialecticus *et* geometres, quotus orator poëta grammaticus; 62, 26 dum imitatur experitur *et* temptat, dum labitur reformat immutat; 57, 2 sq. quae in India gesta sunt, apud Seras Persas *et* Medos, in Arabia, Aegypto, in Asia, Syria, apud Galatas — in insulis *et* provinciis; 152, 8 fugitivus *atque* exul *et* proditor apud Aegyptum litterarum. Sic plurimis in locis, ut 82, 5; 158, 7; 165, 1 etc.

§ 3. Singulae voces in eodem enuntiato permutantur.

Nomen substantivum: 35, 25 sine *luminibus* procreatis *oculorum* redintegrare naturas; 144, 23 dii *laevi,* deae *laevae sinistrarum* tantum *regionum* sunt praesides et inimici *partium* dexterarum.

Adiectivum: 144, 23 (supra citatus); 49, 6 *omnia* terrena *cuncta*que caelestia; 90, 19 *cunctae* gentes *universae*que nationes.

Verbum: 36, 28 quia ea *conspicati sunt fieri* et sub oculis suis *viderunt agi;* 66, 22 esse noxias *nesciens* et timere ipsum quid sit *ignorans;* 109, 13 quid si priscis aliter *subveniri,* aliter debuit posterioribus *consuli;* 126, 13 *sciat* ipse necesse est primus id quod alterum *callere* constituit; 169, 7 ut quibus *expellitis* a vobis eisdem ab his legibus *propulsaretis* incurias; 123, 13 *iaculari*que in vos ea quae dolor suetus est *iacere;* 182, 21 quem pietas *diiugare* ab infando matris non valuit adpetitu, effusa libido *diiunxit;* 270, 2 sq. vos . . *remini* . . nos . . *ducimus*; vos . . *arbitramini* . . nos *indicamus*; 279, 25 si

[1]) De asyndeto cfr. Cap. III § 4.

enim se deus *videri* ab hominibus evitabat, nec in forma serpentis velle debuit *conspicit*.

Animadvertas miram permutationem horum verborum 68, 9 *nesciens, secum potius an cum altero conloquaris, cum altero sermocineris an secum*.

Substantivum et verbum: 37, 24 *extulere* in immensum *exigua gesta* et *angustas res* satis ambitioso *dilatavere* praeconio; 30, 5 viduatos *videre luminibus* et iam caelum diemque *cernebant* nullis cum *oculis* procreati; 75, 6 ad *caelum pergere* atque ad *sidera volare*: 104, 19 *Jove patre* sunt *proditi* et *genitore Saturnio procreati*: 125, 13 obstetriciis ille *informatus artibus*, medicorum alius *institutus* est *disciplinis*; 155, 23 nec si *testem* ipsum *citetis* Jovem aut Pythium *constituatis auctorem*.

§ 4. De Synonymis.

Tamquam regulam artis Arnobianae dicas usum unam notionem duabus pluribusve vocibus synonymis significandi.

a) Haec synonyma saepe sine coniunctione collocantur. Exempla congessit Reifferscheidius in editionis suae indice (p. 348). Conferas etiam quae Cap. III § 4 de vocum asyndeto scripsimus.

b) Saepissime coniunctione «et» copulantur atque haud raro paromoeoseos figura adhibetur.

3, 20 obscurari et contegi; 6, 16 comprehensum et compositum; 6, 23 gentes . . desolatas et viduatas; 7, 3 in favillas et cineres; 8, 16 fastu et supercilio; 8, 22 urgetur et premitur; 11, 20 perpetuas et iuges; 15, 6 (211, 8) ad extremum et ultimum; 19, 22 caput et rerum columen; 22, 7 incessitis et appetitis; 28, 24 incomperta et nescia; 39, 12 trivialis et sordidus; 52, 8 pro probatis et comprehensis; 12 protulit et concinnavit; 21 *f*ictoris alicuius et *f*abricatoris acceperit *f*ormam; 54, 19 *p*rincipes et *p*raedictarum *p*atres sententiarum; 62, 6 e saxis et rupibus tegere; 63, 8 typho et adrogantia; 73, 1 inlibatam et intactam; 68, 9 elinguis et mutus; ignorans et nesciens; 69, 10 vicinum et proximum; 23 intactus et inviolabilis; 70, 4 mutatur et vertitur; 74, 12 ab hiatibus mortis et faucibus; 78, 7 imperfecta et clauda; 79, 22 in *p*acata et *p*lacida tranquillitate; 81, 19 ora et faciem; 81, 20 divini ponderis et gravitatis; 85, 2 rem infelicem et miseram [1]; 7 parens et genitor animarum; 91, 24 cognitionis et scientiae veritate; 92, 14 res submota et abdita et caligine involuta; 17 natum et genitum; 94, 5 sponte et voluntate; 11 quidnam fuerit rationis et causae; 96, 10 convellitis et dilaceratis; 16 dissiliat et dirumpatur auditus; 19 pro comperto habere et cognito; 98, 14 cunctas emolliant et commulceant potestates; 109, 8 a finibus et extremitatibus; 117, 4 per *co*itus et *co*nubia *co*rporum; 113, 22 recusatis et renuitis; 129, 16 cessantia et quieta commoveat, 20 discordiarum et discriminum causas; 136, 6 dis caelum et sidera locupletans; 137, 2 brevitatis et compendii causa; 138, 15 aiunt et nominant; 139, 23 et 153, 1 ignorabitur et nescietur; 146, 10 inspiciens et explorans; 147, 7 durat et solidat ossa; 157, 25 motans et tremefaciens caelum; 166, 7 inlatio sanguinis et cruoris; 19 existimari possit et credi; 10 labis et turpitudinis aliquid; 175, 23 inane fiat et vacuum; 177, 18 datam quieti et somno [2]; 178, 2 ardorem et sitiendi flagrantiam; 179, 24 natum et ortum est; 180, 19 vis temporis et vetustatis 184, 3 pudoris et verecundiae frenis; 19 nostrae sortis et condicionis habebatur humanae; 188, 18 conligatis et circumvolvitis; 192, 1 intellectus et cognitus evolat; 195, 6 iratus et percitus (241, 28 irati et perciti) [3]; 196, 15 aversatur et respuit; 210, 15 per commentarios et scripta; 214, 13 impias et scelerosas mentes [4]); 15 arbitramur et credimus; 215, 5 obnoxios et obligatos; 14 sapientium scita et pronuntiata; 220, 25 dicit et adserit; 221, 29 intestinis et domesticis flatibus; 222, 3 formam et speciem [5]; 223, 16 *f*ormatur et *f*ingitur; 224, 2 vobis nescientibus et ignaris; 232, 7 ponere et collocare; 233, 5 convelli et diripi; 251, 19 fervescere vermibus et fluc-

[1]) Cfr. Plaut. Aul. 786 perdidi infelix miser.

[2]) Cic. offic. 1, 103 somno et quietibus; Verg. Aen. 10, 745 dura quies oculos et ferreus urguet somnus.

[3]) Cic. Mil. 63 animo irato ac percito.

[4]) Lucr. 1, 83 religio peperit scelerosa atque impia facta.

[5]) Lucr. 4, 45 speciem ac formam similem gerit eius imago; Cic. Acc. in Verr. 4, 129 eadem specie atque forma signum.

tuare, vitiare et corrumpere; 256, 6 dimota et disiuncta; 259, 11 ditium et locupletium; 260, 4 genetrix et mater superstitionis; 11 in antiquam et veterem consuetudinem[1]); 262, 11 hoc ut fiat et accidat; 264, 14 in insanias et furores; 268, 21 rentur et credunt; 28 sermo prolatus est et perductus; 270, 2 caedibus et mactationibus hostiarum; 19 trivialiter et populariter; 272, 21 *f*ugeret et *f*ormidaret; 273, 2 temporibus civitatis et reipublicae duris; 274, 6 pronos et cernuos ruere (278, 3); 275, 4 non est animadversum et cognitum vitium; 279, 3 serpentis forma et circumscriptione[2]); 283, 21 anceps et dubia res.

c) Synonyma coniunctione «*que*» copulantur.

11, 5 in apertis manifestisque mendaciis; 16, 6 substantiam sui numinis maiestatisque; 58, 25 ab earum hostibus inimicisque; 84, 2 sub procellis tempestatibusque fortunae; 89, 19 pie sancteque; 91, 26 gaudii laetitiaeque plenissimum; 92, 11 evidens manifestumque mendacium; 101, 11 huic muneri officioque[3]); 24 in barbaros ritus peregrinosque; 103, 16 contra sensum iudiciumque commune; 135, 13 turbantibus miscentibusque divina; 147, 9 *p*ollens *p*otensque *c*urans *c*ustodiensque 159, 9 nivei marmoreique candores; 163, 11 patris sui transiret exuperaretque virtutes; 166, 9 dissita distantiaque natura; 176, 7 astutia .. calliditasque mortalis; 192, 3 fremitum .. tempestatemque irarum; 193, 10 turpitudinum scatebrae flagitiorumque; 198, 23 in pudendis .. verendisque Baubonis; 199, 1 obiectum lumini conspectuique divino; 227, 13 aliquid .. divinitatis maiestatisque conlatum; 236, 17 actu sceleroso flagitiosoque; 243, 6 sine ullis praemiis nullisque mercedibus; 25 tua rapui spoliavique donaria; 246, 13 nimium longi est multique sermonis; 256, 12 mite placidumque natura; 257, 12 nomen appellatioque; 259, 21 quaerimus percontamurque; 260, 20 frustra inaniterque; 265, 18 irae numinum offensionesque; 269, 22 ducimus arbitramurque; 271, 5 quatitur concutiturque natura; 279, 23 infirmiter invalideque; 282, 3 immunis inno-

---

[1]) Sic apud Plautum, Plin. Min., Tacitum, Juvenalem.
[2]) Cic. Tusc. 1, 45 terrae situm formam circumscriptionem.
[3]) Cic. Cato 34 regis officia et munera.

cuaque; 6 fractas debilitatasque[1]) virtutes; 283, 7 gloriosis inlustribusque victoriis; 284, 23 deam .. dici appellarique.

d) Saepius coniunctione «*ac* sive *atque*» coniunguntur.

6, 15 accidunt atque adterunt cuncta; 6, 24 genus omne acciditur atque adroditur frugum; 17, 4 aculeos .. irarum atque indignationum; 43, 9 clausa atque obscura mysteria; 46, 3 eluxit atque apparuit Christus; 49, 20 obstaret atque officeret vobis[2]); 53, 17 negotiosum . . atque actuosum genus; 59, 26 genitore illo ac patre 68, 2 *f*abricatus atque *f*ormatus; 70, 17 leti atque interitus ianua; 81, 18 pro beatis ac felicibus; 84, 11 convellerent atque abrumperent iura; 90, 25 iusserit atque imperaverit libido; 91, 9 in inscientiae finibus atque ignorantiae; 23 nocens atque exitiabile; 98, 9 rumore atque opinione; 23 consultum atque provisum[3]); 100, 26 semotis atque interioribus causis; 101, 2 potestatis ac licentiae; 120, 5 litterarum illarum nubes atque involucra; 121, 24 vestrae produnt atque indicant officinae; 135, 10 quo constituto ac posito; 143, 19 cuius fuerit nominis atque appellationis; 22 viam pandere atque aperire; 144, 7 favorem ac suffragium; 157, 7 ducimus atque existimamus; 167, 22 quemquam notare atque insignire criminibus; 169, 18 confinxerit atque excogitaverit formas; 191, 27 animum atque audaciam celans; 205, 10 (fabulas) ambifarias ac bilingues; 206, 18 nothas atque adulteras lectiones; 208, 23 et 260, 30 frustra atque inaniter; 209, 22 dicere atque appellare; 28 elinguem fieri atque mutum; 220, 1 immobilis .. atque fixa perpetuitas; 225, 20 *l*udere ac *l*ascivire; 23 congregatorem atque vinctorem; 237, 23 contemptu atque aspernatione; 249, 14 foris atque extrinsecus veniens; 241, 8; 243, 4, 7; 259, 17 iras atque animos ponere; 248, 5 quid adponitur atque adicitur; 251, 2 deos putarent atque existimarent; 255, 14 gravidas atque fetas; 267, 11 salapittarum sonitu atque plausu; 24 in amoribus atque in deliciis[4]); 269, 1 suam praestet atque attribuat dignitatem; 274, 10; 275, 9; 277, 25 gravitatis ac

---

[1]) Saepius apud Ciceronem legimus.
[2]) Cic. pro Rosc. Am. 112: officis et obstas.
[3]) Cic. Cat. 2, 26 consultum atque provisum est.
[4]) Cic. Acc. in Verr. 4, 3 civitate, quae tibi una in amore atque in deliciis fuit; — Suet. Tit. 1 Titus .. amor ac deliciae generis humani.

ponderis[1]); 279, 19 evincere atque obtinere; 280, 10 cuius sese obiectu atque oppositione protexerit; 283, 31 fuliginei coloris atque atri; 16 coloris furvi atque atri; 284, 11 impetus fregit ac reppulit; 16 hostem pellere ac fugare.

d) Synonymorum paria etiam coniunctione «*aut*» copulantur.

66, 10 quid operis aut negotii celebrans; 91, 8 expetisse aliquando aut studuisse cognoscere; 92, 4 neque inquirere aut vestigare curamus; 95, 22 expeditum aut promptum est; 99, 2 in mundi partibus aut regionibus; 221, 18 dicere aut appellare; 247, 26 ut iras aut animos ponant; 257, 12 quid refert aut interest; 259, 22 quo tempore nosse illud aut scire potueritis; 267, 23 differt aut interest.

e) Particulis «*aut — aut*» coniunguntur:

4, 6 aut sensit aut passa est;

vel — vel: 63, 14 vel insinuare posse vel tradere; 101, 14 vel inrepere vel invadere; 77, 10 convenit vel existimare vel credere; 209, 25 potest inreligiosius quippiam vel existimari vel credi; 259, 5 vel voluptatis alicuius vel dulcedinis causa; 269, 3 vel arbitramini esse vel creditis.

nec — nec (neque — neque).

87, 21 neque emendari neque corrigi se poscit; 113, 7 neque liquidum neque comprehensum neque exploratum; 139, 12 neque existimatum neque creditum; 216, 22 nec recusare nec spernere [2]).

f) Synonymorum cumulatorum extremum coniunctione copulatur.

31, 24 Christus correxit restituit atque sanavit; 55, 8 labefactant destruunt convelluntque decreta; 90, 17 nesciente ignaro atque inscio; 28, 9 aliquis furens iratus et percitus; 100, 2 aspernaris contemnis et despicis; 134, 22 si est vera fixa et certa sententia; 224, 28 cacumine . . pulcritudinis venustatis et floris; 250, 21 quibus ipsi alimur sustentamur et vivimus; 265, 19 di sertis coronis adficiuntur et floribus: 266, 20 ut tranquilli placidi efficiantur et mites; 268, 24

[1]) Saepius apud Ciceronem.

[2]) Cfr. Hom. Od. 9, 215 οὔτε δίκας εὖ εἰδότα οὔτε θέμιστας.

adscribere valetudines aegritudines et corporales diis morbos; 279, 1 valetudinum pessimarum propulsator prohibitor et extinctor. Cfr. 231, 18 recusat et respuit aspernaturque.

§ 5. De abundanti genere dicendi.

Id quod Arnobius 39, 12 de stilo veritatis dicit «nunquam enim veritas sectata est fucum nec quod exploratum et certum est circumduci se patitur orationis *per ambitum longiorem*», ipse vix secutus est, lata enim et diffusa oratione excellit. Atque strictim de cumulatis iteratisque coniunctionibus et adverbiis dicemus. Ut *tum deinde*[1]) 74, 15; 84, 15; 90, 22; 194, 18; 248, 11; *tunc deinde* 84, 10[2]); *post deinde*[3]) 57,12; *nunc nuper*[4]) 22, 20; *coram et comminus* 217, 6; *itaque ergo*[5]) 247, 16; *nihilominus tamen* 24, 25 *immo e contrario* 233,6; *quinimmo potius* 156, 2; *nunc vero-contra* 235, 18; *at vero-contra* 157, 10; 269, 6, 26; *nec minus et* hi *quoque* 34, 22; *nec non et* 44, 20; 170, 3, 12; 190, 21; 229, 17[6]); *et* hi *quoque* 104, 25; *an numquid* 51, 4; 147, 22; 175, 14 etc.; *utrumne — an* 251, 5; 267, 28; 272, 2 etc.

a) Pro abundanti genere suo dicendi Arnobius saepe simplici enuntiato amplificatum auctumque addit et cujus sensus non ferme diversus est a sensu prioris. Conferas 50, 22 (natio) quae . . non molliverit asperitatem et in placidos sensus adsumpta tranquillitate migraverit; 58, 1 qui estis unius mentis et per easdem vias placitorum inceditis unitate; 65, 8 verbum nullum faciens nec in sermonis alicuius similitudinem ora et labra diducat; 77, 1 extinguere et ad nihilum redactas inremeabili abolitione delere; 110, 13 nihil est enim nobis promissum ad hanc vitam nec in carunculae huius folliculo constitutis opis aliquid sponsum est auxiliique decretum; 144, 2 confli-

[1]) Semel apud Livium II 8, 3; Sen. ep. 101, 4.

[2]) Sen. ep. 95, 35; 115, 4.

[3]) Ter. Andr. 483; Sen. ben, 2, 34. (etiam Cic. Tusc. 4, 2 deinde postea).

[4]) Plaut. Truc. 2, 4, 43.

[5]) Livius I 25, 2; III 31, 5; IX 31, 16.

[6]) Verg. Aen. 3, 352; 5, 100; 9, 301.

gunt partes atque inter se comminus armorum collatione decernunt; 175, 3 victos somno atque altissimi soporis oblivione demersos; 261, 23 quidquid enim spirat et reciprocos halitus auris commeabilibus ducit; 279, 12 si quando mutat loca et ab aliis transgredi in alias regiones parat. Conferas 188, 4; 225, 13; 240, 14; 260, 15 etc. et quae supra de sermonis tumore diximus.

b) Saepe secundae enuntiationis argumentum idem est ac prioris. Ex. gr. 17, 19 qui se pectorum secreta nesciret nec quid in intimis sensibus contineamus agnosceret; 55, 10 sed officiant haec nihil nihilque impediant; 98, 2 divinas animas fieri et ab legibus mortalitatis educi; 107, 12 spem salutis adfigere et salutaria subsidia conlocare; 153, 15 caelum numinibus auxi et deorum numerum multiplicavi; 183, 23 fetus somnis suis officeret aut interpellaret quietem; 188, 13 credi a vobis esse veram et exploratae fidei iudicari; 252, 25 differentiam generum nullam in diis esse neque ullis sexibus eos esse discretos; etc.

Nonnunquam vel coniunctionibus »*et* — *et*« copulantur: 75, 16 cum vos et similia credere et in eadem videamus expectatione versari; 105, 6 et esse res coepit et nonnulla in essentia constituta etc.

Ubertatis dicendi causa secundum addi enuntiatum omnibus exemplis quae congessi apparet. Confer denique 277, 14: quis est enim qui eos deos existimet fuisse aut esse qui credat etc.; 282, 24 sqq.

c) Quod generatim dictum est, id saepe proprie additur.

59, 4 puniri eas dicat tamen et doloris adficiat sensu; 90, 2 ubi vobis nocemus vel quam vobis facimus aut inrogamus iniuriam; 101, 21 novellam esse religionem nostram et ante dies natam propemodum paucos; 118, 12 aboriri praeferre et praepropero partu septimanas edere aliquando feturas; 114, 24 an sint aliqui vobis incogniti necque in visum aliquando notitiamque perlati; 123, 3 cultu aliquo prosequi et statuarum consecrationibus honorare; 144, 9 Romanorum tantum est dea haec et cum solis Quiritibus faciens gratiosis semper opitulationibus praesto est; 284, 21 ille sit credulus et facillimas aures quibuslibet fictionibus praebeat.

d) Post enuntiatum affirmans eadem sententia negando additur.

Is usus, qui apud nullum scriptorum rarus est, apud Arnobium creberrimus est[1]. Nonnulla afferam exempla: 8, 2 sint omnia vetera et nullis antiquitatibus inaudita; 42, 19 quod est unum et simplex nec ullarum partium congregatione compactum; 78, 12 cuncta suos ire per cursus nec ab ordinis nati continuatione discedere; 78, 17 commoditatem semper spectare privatam nec a finibus propriae utilitatis abscedere; 90, 11 si cuncta eius voluntate conficiuntur nec citra eius nutum quicquam potest in rebus vel provenire vel cadere; 187, 19 sed historia haec falsa est neque ullam continet veritatis in se partem; 223, 6 vos ipsos eadem sentire quae nos neque alias gerere super numinum figuratione sententias; 283, 12 si verum loquuntur historiae neque ullas inserunt rerum conscriptionibus falsitatem.

Enuntiatum negans etiam praecedere potest, ut:

65, 2 hospitium, quod habeat rem nullam et sit inane ac vacuum; 73, 6 animas nullius esse participes finis et cum omnibus saeculis aevorum perpetuitate procedere; 78, 14 etiamsi nomen in mundo nullum hominis audiatur orbisque iste terrarum solitudinis vacuae silentio conticiscat; 129, 10 non commemorabimus hoc loco deam Lavernam furum et laeva illa . . numina taciturnitatis silentio praeteribimus.

Adnot. Brevis orationis unum exemplum notabile inveni: 99, 8 quo genere, quae, quando?

Cap. V.

De verborum collocatione.

§ 1. De singularis vocis collocatione.

A. *De nomine adiectivo.*

a) Simplex adiectivum ut apud omnes scriptores anteponitur nomini substantivo, ut vis sua augeatur, praesertim notione opposita contraria.

---

[1]) Cfr. Hom. Il. 3, 59 ἐπεί με κατ' αἶσαν ἐνείκεσας οὐδ' ὑπὲρ αἶσαν; Soph Oed. R. 58 γνωτὰ κοὐκ ἀγνῶτα; 1230 ἑκόντα κοὐκ ἄκοντα.

Ex. gr. 109, 6 sq. in *infinitis, perpetuis* saeculis nihil omnino dicendum est serum. 9 tempus enim a finibus et extremitatibus noscitur, quae habere non potest *perpetua* series et *immoderata* continuatio saeculorum.

Sic etiam contra usum communem: 34, 1 *gestarum* ab se rerum; 200, 2 ut fidem compleret pacti et *iurandi* solveret religione se iuris; 171, 16 *familiaris* communicatores rei; 247, 1 *familiaris* rei necessitas.

At contra proprium est huius scriptoris adiectiva «*tantus, talis,* saepe etiam *omnis*» substantivis postponere, ut maiore fiant momento: ex. gr. 57, 19 obscurandi res *tantas;* 99, 17 si tibi fastidium *tantum* est; 123, 12 pro iniuriis et contumeliis *tantis* etc. 141, 8; 155, 4; 157, 10; 159, 8; 166, 13; 167, 14 etc.; 192, 11 comminiscitur remedium *tale;* 110, 15 minas *omnes* quaecunque sunt etc.

Saepissime varietatis causa in eodem enuntiato adiectivi positionem mutat; 36, 29 testes optimi certissimique auctores; 55, 21 opera illius magnifica potentissimasque virtutes; 64, 22 non ex inlato igni neque ex sole conspecto; 80, 15 cum impendiis maximis perpetuisque sudoribus; 102, 13 qui in mores alios atque alios ritus . . transistis; 166, 24 in sollemnibus ludis curriculisque divinis; 191, 21 libidinibus improbis atque inconcessis cupiditatibus; 215, 1 ab adfectibus cunctis et cunctis perturbationibus liberos; 227, 27 messes optimas feracissimasque vindemias; 262, 4 essentiae dispares substantiaeque non unae. Sic permultis in locis.

b) Etiam adiectivum a nomine proprio derivatum saepissime anteponitur:

Ut 3, 4 Christiana gens; 14, 12 et 57, 18 Christianum nomen; 50, 29 Christiana fides; 57, 8 Christiana veritas (semel tantum 5, 18 religio Christiana).

116, 1 Romanum genus; 164, 1 Romanae dominationis; 181, 17 Romani populi; 144, 19 Romanis cadaveribus; 281, 25 Romana civitas; at 283, 21 «anceps et dubia res Romana» ubi maioris momenti praecedentia adiectiva sunt.

Cannensis pugna 208, 12, 14; Capitolinum ut capiat collem 143, 21; Tarpeiam rupem 143, 25. Attamen post «Boeotius Pindarus» 161, 3 paulo infra «Sophocles *Atticus*»

161, 15 legitur, atque in eodem enuntiato 165, 13 sqq. *Agragantino* Euhemero replicato . . vel Nicagora *Cyprio* vel *Pellaeo* Leonte vel *Cyrenensi* Theodoro vel Hippone ac Diagora *Melio* etc.

B. *De genitivo.*

Contra communem scriptorum usum Arnobius his verborum collocationibus utitur: terrarum orbis 3, 5; 47, 10; terrarum in orbe 11, 17; 16, 24; terrarum ex orbe 225, 27; simillimum veri 38, 3; 39, 4; consulti iuris 50, 25;[1]) plebis scitis, consultorum senatus metu 169, 4; fallere castitatem alienarum possit familias matrum 170, 18.

Ut Cicero et Plinius Maior (de quo cfr. Müller l. c. p. 3) saepius «rerum natura», rarius «natura rerum» scribunt, sic Arnobius omnibus locis habet «rerum natura», ut 115, 5; 134, 3; 135, 14 etc.

In iis locis praesertim genetivum ante nomen substantivum collocat, cum abstracto utitur quod nos adiectivo vertimus. Conferas: 15, 9 in acoris perfidiam mutari; 74, 3 ingeniorum excellentia praeditos; 108, 16 pluviae quas oportuit temporis opportunitatibus ministrari; 173, 11 verborum ambiguitatibus lusus; 136, 3 opinionum diversitate; 165, 6 opinionum petulantia; 166, 14 opinionum foeditate; 205, 7 expositionum varietate; 232, 5 canum sollicitudinibus; 281, 15 silvarum densitatibus se dedit; etc. — Rarius 127, 18 obscenitate ludorum.

Saepe etiam variandi causa habes: 21, 2 qualitatis expers, expers quantitatis; 51, 19 tantum cordis adsumere, divinationis tantum potuistis haurire; 61, 29 pravitate consilii atque ignorantiae caecitate; 131, 19 quod spatiis mensum et dierum dinumeratione conclusum est; 140, 10 ignoratio rerum, personarum confusio; 236, 22 sub titulo gravitatis et severitatis obtentu; 265, 20 aeris tinnitibus et quassationibus cymbalorum; etc.

131, 13 patrem Fonti, Vulturni generum, Juturnae maritum; 133, 1 frater Jovis Olympiique germanus; etc.

C. *De appositione.*

Etiam appositionis locum saepe Arnobius mutat in eodem enuntiato; 132, 8 patre editus Saturno atque Ope matre;

---

[1]) Cfr. Horat. Ep. 2, 3, 369 consultor iuris et actor causarum.

140, 13 sq. adestote dii Penates, tu Apollo . . non Neptunus et Apollo Penates dii erunt?

Nonnunquam appositionis partes etiam substantivo dirimuntur, quae verborum locatio a poëtis Angusteae aetatis praesertim usurpata est[1]). Cfr. 84, 22 *ille* salus rerum *deus;* 129, 10 *deam* Lavernam *furum*; 190, 15 *regem* Servium natum esse *Romanum*; 196, 7 *capellarum* Dysaules *custos;* 227, 23 *rationale* homines *animal* etc.

D. De *pronomine*.

Non raro Arnobius pronomen relativum vel interrogativum non initio sententiae relativae vel interrogativae collocat, sed post unam vel plures voces illius, quin etiam pronomen interrogativum in fine illius propositionis. Is quoque usus e poëtica in pedestrem dictionem translatus est — cfr. v. gr. Hor. Sat. 1, 2, 110 cupidinibus statuat natura modum *quem* . . . Sat. 2, 7, 104 obsequium ventris mihi perniciosius est *cur?* Ep. 2, 2, 99 discedo Alcaeus puncto illius, ille meo quis? — Notabiliora tantum exempla afferam: 60, 21 vultis rimari . . cuius sitis, censeamini *quo patre:* 198, 2 havet animus scire . . artibus habeatis *quibus* tam confossis salutem dare personis; 214, 18 noscatis, quid de isto nomine sentiamus iudiciique simus *cuius:* 261, 3 pendatur ab his *quanti* quod in praemium datur favoris interrogamus; 276, 21 crudelitas fuit *quae* tanta etc.

Minus dura est haec pronominis collocatio quam non raro habes: 25, 19 animalium origo *quae* sit, rationes *quas* habeant semina; 28, 28 consimile aliquid Christo *qui* fecerit; 52, 16 homo *quid* sit, 55, 26 virtutes secuti *quas* estis? etc. Habes χιασμόν qui dicitur 281, 5 quidnam ille fuerit vel *cuius* generis, nominis et qualitatis *cuius*.

E. *De adverbio*.

Ut pronomen, ita etiam adverbium interrogativum et relativum saepe altero vel tertio loco reperitur, ut v. gr.

71, 12 in corporibus ipsis quemadmodum constitutae meminerunt . . animas se esse; 127, 21 matrum intereunt cur cotidie millia: 195, 28 quod cum factum nesciret Ceres nec filia esset ubinam gentium suspicaretur etc.

[1]) Cfr. v. gr. Hor. C. 1, 1, 29 doctarum hederae praemia frontium.

Non pauca adverbia, quae suis verbis anteponenda sunt, Arnobius postponit, sic plerumque: 39, 6 proclivius *multo;* 56, 4 levissimum *multo* est; 72, 5 gravius *multo;* 119, 21 honestius quam vos *multo:* 120, 14 indignius *multo;* 122, 22 maioris *multo* est contumeliae; 169, 19 rectius *multo;* 243, 9 sapientius *multo*, sic 246, 20: 247, 4; 249, 10 (Quattuor tantum locis 238, 6; 252, 22; 268, 30: 280, 2 haec vox anteponitur);[1])

3, 23 non impii nos *magis:* 53, 11 inscientia miserabilis hoc *magis* est;

72, 9 viris ab sapientibus *maxime;*

185, 22 admirabilis res *satis* quod; 192, 22 quia nefarium videbatur *satis;*

11, 2 superciliosa *nimium* res

268, 18 submotas esse ab his *longe;*

268, 26 lippi sunt *saepe*.

181, 18 ad *usque* Hirti consulatum; 187, 16 adhuc *usque*.

Etiam *non* saepe alio loco ponitur atque ab optimis scriptoribus: 180, 21 quod *non*, si in hominem dixeris . . contumeliae reus sis; 193, 17 adulterium nullum, quod in eius *non* caput . . congeratis; 212, 8 quas *non* videmus posse . . cogi.

Notabiliorem positionem habes 159, 9 uxore contentus *haud* una (nam particula haud semper ante negatam vocem ponenda est).

Hic etiam conferas quantopere adverbii collocatio varietur: 138, 15 quod *una* oriantur et occidant *una;* 171, 3 elogia et *cotidie* referatis et ediscatis *cotidie;* 7 has *potius* litteras vos exurere debuistis olim, libros istos demoliri, dissolvere theatra haec *potius*.

F. *De coniunctione*.

Coniunctionum quae dicitur anastrophe iam apud scriptores aureae aetatis vigens ab Arnobio saepissime usurpatur.

Sic particula *ut* postponitur 38, 13 fuerit, his bene *ut* Christus qui fuerit . . colligatur; 66, 24 eritne, idem *ut* possit; 178, 20 inde Attis nomen *ut* sortiretur effluxit; 247, 18 bonas *ut* res conferant; aliisque locis plurimis.

[1]) Etiam a Cicerone plurimis locis ea vox comparativo postponitur.

Etiam verbo suo postponitur [1]: 116, 12 aboleantur *ut* haec scripta; 180, 11 crescant *ut* comae semper; 236, 3 vitam vellent *ut* pacificam degere; 252, 6 requiram *ut* eadem rursus; 254, 3 hic ponat *ut* purpureum colorem; 274, 12 repetamus *ut* assidue hanc vocem; 279, 10 sanguis detur ut corpori.

Cum postponitur: 26, 25 dies cum venerit; 54, 13 advenerit cum tempus;

Quam: 13, 12 non videtis, adfectus quam turpes .. numinibus attribuatis; 280, 16 nostras velle quam exaudire sententias.

An: scire .. subventum et his an sit ratione aliqua ..

Si: 134, 12 ita si esse rei veritas monstrat; 213, 13 oratio sordida est, verbis fuerit polluta si talibus.

Quod: 178, 21 ore fuerat quod excellentissimo.

Quominus: 55, 11 impediant, plurimum quominus eis credere .. debeatis.

Neque propriae usus communis sunt collocationes earum coniunctionum quae sequuntur:

Et saepissime postponitur voci iungendae: — Hic quoque Arnobius sequitur poëtas temporum Augusti, cfr. Verg. Aen. 3, 668 (verrimus et proni certantibus aequora remis) et adnotationem Ladewigii qui plurima collegit exempla Vergiliana. — 84, 19 omnium virtutum caput, benignitatis et columen; 128, 17 fervorem .. solis deus, noctis et tempora .. subministrat; 160, 19 ablui diebus statis, vinculorum ponderibus et levari; 165, 19 Minervae expromere bella, virginis et Dianae; 170, 6 gentis illa genetrix Martiae, regnatoris et populi procreatrix; 251, 11 ex volutabris horrentibus, lutosis et voraginibus sumptum; 272, 14 catervatim et populus interiret; 274, 17 trahi alios, cruribus et claudicare praefractis.

Atque: 149, 19 tum talia confingitis monstra talia atque molimini; 187, 3 lavit utique, balsamis atque unxit. — Cfr. Lucr. 3, 530 Scinditur atque animo natura etc. Hor. Sat. 1, 5, 4 nautis cauponibus atque malignis; 1, 6, 111 milibus atque aliis etc.

Nec: 96, 18 positarum nec ante oculos rerum. — Hic habes positionem prorsus poëticam.

---

[1]) Cfr. poëtas Augusteae aetatis, v. gr. Hor. C. 1, 37, 20 daret ut catenis etc.

Sed: 36, 9; 204, 20; 223, 23 quae exempla iam a Klussmannio [1]) allata sunt [2]).

At secundo loco: 36, 21 exutus at corpore. — Cfr. Vergil. Ge. 3, 331 (aestibus at mediis) et alios poëtas.

Itaque: 194, 18 vellem itaque videre. — Sic saepius apud Livium.

Igitur primo loco: 196, 11 igitur Baubo illa. — Sic Sallustius semper vocem ponit, exceptis sententiis interrogativis [3]).

Ergo tertio loco non raro ponitur: 42, 20 quis est ergo; 126, 20 hoc est ergo etc.; quarto loco: 143, 23 ante facta et haec ergo.

Etenim postpositum 41, 27 quis etenim mortalium; 115, 14 devotas etenim mentes. (Aliis in locis initio sententiae). — Iam a Lucretio secundo loco 1, 104; 2, 547.

Aut: 140, 17 Fortuna, Iovialis aut Genius; 169, 10 magistratum in ordinem redigere, senatorem aut convicio prosequi; 216, 9 saxorum aut obiectione; 15 Aegyptius aut Merops; 18 laquearibus aut renideant aureis.

Vel: 160, 3 sola vel cogitatione.

Tamen longe a loco suo positum habes: 52, 13 ut cum nihil sciamus, omnino fallamus nos tamen.

G. *De praepositione.*

Etiam praepositionis anastrophe apud Arnobium usitatissima est. Non solum ex more optimorum scriptorum adiectivo aut pronominibus *hic* vel *ille* postponitur ut 7, 7 venenatis ab anguibus; 22, 15 novam in lucem; 69, 21 sua de vi; 165, 11 hoc in loco etc., sed habes etiam ea quae sequuntur exempla traiectionis praepositionis:

1) Praepositio sequitur substantivum, sed praecedit adiectivum vel pronomen. Hic usus ad poëtas maxime accedit (cfr. v. gr. Vergil. Aen. 3, 348 verba inter singula) [4]), sed iam a Livio (cfr. 9, 43, 15 aciem per mediam), imprimis a Tacito in pedestrem orationem translatus est. Sed huius usus exemplorum copia apud Arnobium tanta exstat, ut hoc loco tantum

---

[1]) Klussmann, Mantissa quaestionum in Arnobio criticarum, p. 14.

[2]) Sic Vergilius, Horatius, alii poëtae.

[3]) Cfr. adnotationem Jacobsii ad Sall. Cat. 2, 1.

[4]) De hoc usu Lucretiano cfr. Heinzii commentarium libri tertii p. 69.

selecta quaedam subiungere possim; 6, 19 malis ab his; 8, 19 tranquillitate in mollissima; 15, 14 ratione in aliqua; 24, 20 veritate in liquida; 30, 8 vocem ad simplicem; 36, 15 radice ab intima; 38, 6 gentibus in ignotis; 41, 11 genus in alterum; 66, 2 solitudine in operta; 72, 8 viris ab sapientibus; 75, 15 crudelitate in ista; 78, 4 et quattuor aliis locis: parte in hac; 88, 19 sede ab supera; 90, 21 puncta per singula; 136, 26 novitate ex ipsa; 174, 2 more de solito; etc.

Sed etiam aliis vocibus substantivum a praepositione sua disiungi potest, sic 13, 1 *nationibus* enim sumus in *cunctis*; 65, 13 *nutrice* inferantur ab *eadem*; 80, 18 *animalibus* mutuarentur a *mutis*; 83, 9 *labem* machinantur in *mutuam*; 89, 19 *deo* removit a *maximo*; 139, 11 *species* ire per *singulas*; 149, 5 *locis* posita in *obscuris*; 152, 26 *capita* ire per *singula*; 154, 6 *aquis* generavit ex *liquidis*; 159, 6 *matrimoniis* fuerat cum *alienis*; 193, 27 *ullam* non esse *causam* ob *aliam*; 208, 8 *conversionem* non potest in *allegoricam* duci; 209, 5 *oras* ut venit ad *Atticas*; 213, 13 *res* ducat atque invertat in *frivolas*; 228, 12 *parte* ligneos deos ex *una*; 246, 6 *casibus* nullus est in *his* locus; 259, 20 *cultumque* adhibentur in *plurimum*; 260, 2 *scriptoribus* ut comprobatur a *priscis*; 8 *religionibus* artifex in *comminiscendis*; 261, 15 *altaribus* conficiatur in *sanctis*; 275, 25 *consulem* ut ad *ipsum*; 280, 25 *longitudinem* porrigebatur in *lubricam* etc.

2) Praepositione appositio a suo substantivo separatur, quae dictio poëtica est. Cfr. Vergil. Aen. 8, 292 rege sub Eurystheo; Ovid. Met. 11, 156 iudice sub Tmolo. In Taciti Annalibus habes pauca exempla huius traiectionis, ut 4, 43 montem apud Erycum. In Arnobianis libris haec inveni: rege sub Tullo 103, 8; genitore ex Pallante 153, 21; Dite a patre 203, 11 (cfr. patris in Ditis raptu 212, 4); rege ab Attalo 283, 14.

3) Praepositionem denique inter substantivum et genetivum collocatam invenimus. Et is usus primum poëtarum est, cfr. Lucr. I 158 opera sine divom, I 170 oras in luminis; VI 140 regione in pectoris. Apud Vergilium haec positio septies invenitur atque quinquies in Aeneide[1]). A Tacito recepta (cfr. v. gr. Annal. 4, 5 initio ab Suriae) non raro

[1]) Ladwig ad Verg. Ge. 4, 333.

adhibetur ab Arnobio; 19, 28 caecitate huius in corporis; 41, 22 forma est in hominis; 80, 29 discrimine cum capitis; 126, 6 qualitate pro temporis; 179, 23 et 184, 24 fluore de sanguinis; 207, 13 raptione in Proserpinae; 212, 8 versuras in huiusmodi; 248, 4 cruore de pecorum; 249, 23 conspectuque in eius; 252, 30 unoquoque ab hominum; 261, 6 resina ex arboris; 279, 14 punctoque in temporis; 284, 2 venisque in eius.

Prorsus poëtarum modo Arnobius scribit: 200, 3 locum pergit ad funeris; 5 humani speciem fabricatur in penis; 277, 1 gaudia servavit ad vitae.

§ 2. Voces praeceptis grammaticis iungendae separantur.

Arnobius artificioso et contorto verborum ordine utitur adeo, ut nonnunquam difficilis ad intellegendum sit oratio. Non tamen mihi est propositum omnia accumulare exempla huius verborum collocationis, sed satis habebo memorabiliora genera afferre.

Constat ab optimis scriptoribus inter adiectivum et substantivum collocatum esse verbum aut aliam sententiae partem. Ita etiam in Arnobii libris invenies: 14, 10 nullam prorsus obtinere rationem; 12 innoxia dilacerare frumenta; 26 secundas tribuant valetudines etc. Sic millies.

Pro adiectivo etiam genetivum habes, ut 19, 21 impiae religionis sumus apud vos rei; 23, 13 in vini melior et laudabilior potu; 22 in finibus sepultus Hispaniae; 209, 15 rerum prohibente natura etc.

Imprimis hae verborum collocationes sunt notandae, ut 171, 26 familiaris communicatores rei; 175, 4 vinciendi copiam sui; 214, 9 caesorum sanguinem animantium; 226, 24 argenti massas indomiti; 265, 16 per unius formidinem verbi; 275, 26 sacerdotum ad aliquem publicorum; 28 funesti causam temporis; etc. Saepe voces inter se cohaerentes complexione verborum longissima seiunguntur. Cfr. 21, 17 *nullum* nobis omnino super tali erit obstinatione *certamen*; 23 discedat *haec* longe atque a nobis procul, procul inquam, ut dicitur, averruncetur *amentia;* 33, 25 *infirmitate* credatur expellere non potuisse *divina;* 73, 10 *effrenatum* spargere immensae cupiditatis *ar-*

dorem; 100, 23 *partes* enim salutis dandae conferendique animis quod tribui convenit necessariumque est adplicari solus ab deo patre *iniunctas* habet et *traditas;* 101, 18 ad *immortalitatis* accedere nullis poteris contentionibus *praemium;* 142, 18 *communem* tollitis nobis atque eripitis *sensum;* 148, 4 *ille communis* qui est cunctis in mortalibus *sensus:* 167, 22 *falsis* quemquam notare atque insignire *criminibus;* etc.

Compares etiam exempla ubi verba quae interponuntur, minus pertinent ad voces quae separantur, ut 34, 13 *liniamenta* et hi *corporum* .. conciliavere contactu; 91, 13 ex elementis, *inquiunt,* et ex eorum inaequabilitate, *sapientes;* 151, 5 a *doctoribus* omnes *nostris* insinuatum acceperimus; 188, 15 sub qua sibi *furens* manus et *infelix adulescentulus* intulit; 212, 22 *vocabulis* rursus deos *rerum* coinquinavistis *infamium;* etc.

Deinde notandus est ille usus, qui apud poëtas elegiacos praecipue reperitur, traiciendi duo substantiva cum attributis, cfr. Ovid. art. 1, 3 arte citaeque veloque rates remoque moventur[1]). Sic Arnob. 50, 18 vel haec saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi (ubi *haec* cum *argumenta, fidem* cum *credendi* coniungendum est)[2]); 93, 7 neque alia neque absimili ratione de animarum ab his condicione disseritur (*absimili ratione* cum *ab his* coniungendum); 118, 11 ut deas quoque credamus circumactis persolvere suas mensibus leges: 143, 10 catervas ignotorum alias inducitis deorum; 191, 13 virginibus aurea sumpta ab Hesperidibus mala.

Tum enuntiationis partes paris momenti separantur partibus illarum communibus: 49, 6 omnia terrena cunctaque caelestia animantur motu irriganturque vitali; 46, 6 nuntiatorem muneris et portitorem tanti; 186, 26 flagitiosi operis instrumenta foedique; 225, 1 amor talium cupiditasque signorum; 227, 23 animal et sapientiae munere consiliique donatum etc.

---

[1]) Versus laudatus a Boldt, de liberiore linguae latinae collocatione p. 87.

[2]) Sic recte Hildebrandus contra Heraldum et Orellium vertit: Floessen euch nicht einmal diese Gründe *Vertrauen zum Glauben* ein. Cfr. adnotationem editionis eius.

Postremo de figura quae a viris doctis ἀπὸ κοινοῦ appellatur, aliquid dicendum est. Qua de figura cf. Leo, Analecta Plautina, de figuris sermonis I. 1896.

Haec genera mihi sub oculos ceciderunt:

a) Genetivus a duobus nominibus pendens, sed alteri accedens. Sic 8, 7 tanta magisteriis eius acceperimus ac legibus; 57, 9 currum Simonis magi et quadrigas igneas; 82, 1 in habitum feminarum deliciasque molliri; 161, 5 quorum gazis fuerat locupletatus et donis; 169, 12 fama alterius coinquinatur et vita; 272, 6 (277, 10) pro modulo ingeniique pro captu; etc.

b) Nomen substantivum ad duo attributa pertinens secundo tantum adicitur. Sic. 42, 12 quare isto voluit et illo genere noluit: 140, 20 his sua et aliena illis imposuero cognomina.

c) Saepius verbum commune post vocabulum ponitur quod secundum tertiumve membrorum parium structorumque pariter inchoat: 74, 2 cum officio vitam iustitiaque traducat; 122, 19 erroris alios et stultitiae condemnare et in erroris eiusdem similitudine ac vitii deprehendi; 140, 3 a quo rebus auxilia et necessitatibus exposcat humanis; 227, 1 frustis hostias et fragminibus caedere.

d) Praepositionis ἀπὸ κοινοῦ positae exemplum inveni nullum nisi incertum (secundum Ursini editionem) 271, 30 ventum veram atque ad iustissimam quaestionem.

Conclusio.

Ut paucis complectar quae hactenus de Arnobii stilo tractavi, Arnobius, quantum apud scriptorem illorum temporum fieri potest, genus dicendi quod apud scriptores argenteae aetatis invenimus, imitatur. Neque loci quos ex poëtis supra (Cap. I) dictis exscripsit, a nova latinitate dissentiunt quam Tacitus in Dialogo describit (16 et sq.). Huc accedit quod etiam alia quaedam ei cum Tacito communia sunt: sic frequens usus nominum abstractorum pluraliter dictorum. Cfr. 110, 10 captivitates urbium et Tac. Hist. 3, 70; 44, 15 nobilitates et Tac. Ann. 12, 20; 127, 20 puerperia et Tac. Ann. 12, 6;

45, 24 valetudines et Tac. Ann. 6, 50 (iam Cic. Tusc. 5, 113); 27, 9 «mortium» formas et Tac. hist. 3, 28 omni imagine mortium; fastidia 82, 6; 259, 1 et Tac. Ann. 11, 36 (etiam apud Vergilium aliosque poëtas)[1]. Adde magnam copiam substantivorum verbalium quae praesertim a poëtis et a scriptoribus supra dictis usurpantur: sic 179, 17 instigator (Tac. hist. 1, 38); 184, 6 debellator (Verg. Aen. 7, 650); 49, 5 fundator (Verg. Aen. 7, 678); 251, 30 latrator (Verg. Aen. 8, 698; 265, 15 venerator (Ovid. ex Ponto 2, 2, 1); 158, 20 iaculator fulminis (Stat. Theb. 2, 562 — de eodem Jove —); 159, 22 etc. regnator (Verg. Aen. 2, 779 etc., Tacitus etc.) etc.[2]. Conferas etiam 173, 17 ad id locorum et Liv. 43, 5, 4 vel 106, 12 apud Albam et Tac. Ann. 4, 57 apud Capuam, apud Nolam etc. Ex copia latinitatis archaïcae pauca inveniuntur, ut 174, 11 dixe; 268, 19 volup, cfr. etiam Cap. I.

Neque tamen Cicero Arnobio ignotus est, 116, 1 appellat eum «Romani disertissimum generis» et paulo post 116, 7 Ciceronis verbis utens (Cic. pro Caec. 23, 65) eius «aucupia verborum» significat. Etiam 116, 15 eum citat et 208, 13 ubi ex eius oratione pro Roscio Amerino habita vocem «pugna Cannensis» pro proscriptione Sullana adhibitam affert. Praeterea apparet a p. 116, 1 ad p. 166 multa sumpta esse ex Ciceronis libris de natura deorum (I 80 sq. II 61 sqq. III 53 sqq.); p. 166, 20 sqq. ex Ciceronis de har. responsis 23; p. 170, 12 sq. ex Cic. Tusc. 2, 20. Ut demonstrem non solum argumentum, sed etiam singulas voces ab Arnobio saepe decerptas esse, satis habebo ultimos locos inter se comparare: 170, 12 illa proles Iovis Sophoclis in Trachiniis *Hercules* pestiferi tegminis circumretitus indagine miserabiles *edere* inducitur heiulatus, violentia *doloris frangi* atque in ultimam tabem diffluentium *viscerum* maceratione consumi. — Cic. Tusc. 2, 20. Sed videamus *Herculem* ipsum, qui tum *dolore frangebatur*, cum immortalitatem ipsa morte quaerebat. Quas hic voces apud

[1]) Inter has formas non paucae cum Cicerone consentiunt: caritates 29, 7 et Cic. de off. 1, 57; de fin. 3, 73; debilitates 30, 7; 31, 21 et Cic. de fin. 4, 20; orbitates 212, 18 et Cic. Tusc. 3, 24, 58.

[2]) Cfr. Arn. 193, 21 expugnator pudicitiae (Jupiter) et Cicer. II Verr. 1, 9 qui Verrem «expugnatorem pudicitiae» nominat; Arn. 133, 10; mutator et Lucan. 8, 854.

Sophoclem in Trachiniis edit! Cui cum Deianira sanguine Centauri tinctam tunicam induisset, inhaesissetque ea *visceribus,* ait ille . .

Itaque ut uno verbo finem faciam huic disputationi: in summa Arnobius stilum scriptorum post Ciceronem viventium, rarius Ciceronis sequitur, Lactantius[1]) autem, Arnobii discipulus, vitatis verbis nimium redundantibus ad ipsum Ciceronem revertitur, quare merito Cicero christianus est appellatus.

[1]) Limberg, Quo iure Lact. appellatur Cicero christianus. 1896.

INDEX.

Corrigenda.

8, 14 populis (pro «pupulis»)
9, 11 foveis (pro «foveri»)
9, 18 aurum et adcuratiore (pro «aureum et adcuratio»)
10, 3 quidam e vobis (pro «quidam vobis»)
19, 5 abstinete (pro «abstrinete»).

VITA.

Natus sum Prosper Spindler in oppidulo Boersch Alsatiae inferioris die tertio mensis Julii anni h. s. LXIII patre Edmundo matre Caelestina e gente Müller quorum mortem praematuram lugeo. Catholicam profiteor fidem. Lycei Argentinensis discipulus testimonium, quod vocant, maturitatis aestate anni h. s. LXXXIII adeptus sum. Postea Bonnam me contuli ubi per bis senos menses philosophicis et philologicis studiis operam dedi, inde Monasterium, ubi theologicis et philologicis per sexies senos menses deditus fui. Examen quod appellant pro facultate docendi mense Julio anni h. s. LXXXVIII subii, tum per bis senos menses stipendia militaria merui, denique postquam Argentorati per annum seminarium theologorum catholicum frequentavi, sacerdotio initiatus sum anno h. s. LXXXXI. Ex illo anno in gymnasio episcopali Zillishemiensi educandis edocendisque pueris operam navavi.

Consilium huius dissertationis scribendae mihi Richardus Heinze dedit, nunc professor Berolinensis. Illi et Richardo Reitzenstein, qui optime de me meriti sunt in elaborando hoc opusculo, gratias ago quas debeo maximas.